Digitized by Google

Digitized by Google

INSIGNIUM ORBIS CHRISTIANI UNIVERSITATUM

SORBONÆ, SALMANTICÆ, ET PATAVII

# RESPONSIONES

*AD*

# CONSULTATIONEM,

*Super caſu duplicis ſucceſſivè Matrimonii, quod quidam Dei Servus, Virtutibus clarus* PYRAUSTA *nomine indicatus, contraxit in Indiis, Catholica in illis tunc naſcente Eccleſia, cum animo conſervandi in utroque,* ſi poſſibile foret, *Virginalem Caſtitatem ad inſtar S. Patriarchæ Joſeph cum Sanctiſſima Sponſa Virgine Deipara,*

Eiſdem Univerſitatibus

PROPOSITAM.

*Adſtipulante, quo ad Salmanticenſem,*

PIETATE

REGIS CATHOLICI,

*Quoad reliquas autem duas,*

Emorum, ac RR. DD. Cardinalium

CORNELII, ET DE GESURES.




BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

ROMÆ M.DCC.XXII.

Ex Typographia VATICANA

*Superiorum Facultate.*

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google




*Divino ad coniugalem Virginitatem animante Spiritu prope sexagenarius inopem ſed virtutibus excultam uellam deſponſans, eius proſpexit indigentiæ conſuluit pudicitiæ.*

Digitized by Google

# LECTORI PIO

## DOCUMENTORUM COLLECTOR.

PIAM, Pie Lector, Imaginem è regione conſtitutam, ità cernis, opinor, te ut primùm lætitiâ magnâ perfundi ſentias, mox verò reſtites admirabundus, propterea quòd ſuboriens dubitatio jucundiſſimam tibi penè ſubduxerit intelligentiam. Probè, inquam, tenes parte Imaginis celſiore feſtivè floridêque admodum exhiberi Virginalis Connubii Archetypon, Joſephum inter, & Virginem Sacratiſſimam. Et gaudes enim verò diſparis ejuſmodi ſexûs flores, ſuopte quidem ingenio afflatu ipſo nedum contactu deciduos, & nexu tamen arctiſſimo colligatos, adeò non collîdi mutuò, ut ſeſe mutuò ſervent potiùs: quin, & permiſtis coloribus, odoribuſque, cùm ſpectaculum longè gratiſſimum effectos, hominibus, Mundo, Angelis, tum verò ſidera prætergreſſos in ſinum ſe Patris inſinuaſſe, Verbumque Divinum toto pectore hauſtum in ſinum traxiſſe ſuum: neque enim ante Dei Filius Materna induit lilia, quàm ea Joſephi floribus vallarentur.

At ubi flexeris in ſubjectam partem Imaginis aciem oculorum, Hiſpanum hominem alio in Orbe degentem intueris, non tam ætate, quàm carnis maceratione confectum, coram Sacra Imaguncula Virgineum illud Hymenæum referente proſtratum, atque in multam jam noctem meditabundum. Putaſne, Archetypon eum illud, *ſi fieri poſſit*, in ſe quodammodo derivatum, non minùs ardere generoſitate animi, magnâque in Deum fiduciâ perſeveranter ef-

flagi-

Digitized by Google

flagitare, quàm ſuis interim viribus pari humilitate diffidere, deque opportuna item ſponſa ſolicitum eſſe? Divinaſti planè: quin & Factum quod attinet, ſic exiſtimes, velim, quod verſabat ille animo, id ſemel atque iterum feliciſſimo planè exitu perfeciſſe: Binas, inquam, Puellas pene Columbinas, alteram poſt alteram cœlo præmiſſam, ſponſas adeptus, & flores ipſe ſuos iteratâ ſacramentali gratiâ largiùs irrigavit, & Virgineum illarum candorem, humi cubans, & excubans, cum a ſe, tum ab exteris, inſomni ſemper vigilantiâ cuſtodivit. Nutricium dixiſſes, non Maritum; nec ſane illum alio, quàm Patris nomine, ſponſæ vix puberes vocitabant: ejus enim erant, & indolis & ætatis, ut præter Animæ corporiſque individuam ſolicitudinem, nihil noſſent aliud; hinc etiam ereptæ ante fuere, quàm humanæ ſpeciei cura ulla ſubreperet.

Hoc verò te loco Lector Optime, niſi enormiter fallor vehemens inceſſit cupido, virum iſtum de nomine cognoſcendi atque interim exclamandi: *O ſemel] atque iterum, quiſquis fueris, Te felicem! O Hiſpanam Gentem, o novum Orbem, o Matrem noſtram Eccleſiam, Virgineis hiſce recentibuſque connubiis, pudore magno novatorum ſordes tempeſtivè admodùm ſuffuſuris, longè feliciorem! Quàm non immeritò ſcripſit Clariſſimus ille vir, ex Calviniano Catholicus, Florimundus Ramundus, eadem ætate opus egregium adverſùs Novatores abſoluturus, ac tanta rei fama ſatis evulgata permotus:* (Ex cæteris regionibus tandem multo labore defatigatus in Franciam noſtram veni, cui quà poſſum opitulari cogor, & à vicinorum exemplis præcepta aliqua ſaluberrima præſcribere, quæ in tanta graſſantis hæreſeos licentiâ ſequi debeat. Quo labore defunctus ad NOVUM ORBEM navigare conſtitui, oſtenſurus, quanta ibi Catholica Eccleſia ſumpſerit incrementa)! *Nunquid verò in iſtum ignotum hominem quadret ſingulare illud Elogium:* (Virginalem ſtatum, conjugalem ſemel, & iterum, vidualem quoque, niſi etiam cœnobiticum, immaculato ſemper, nedum inoffenſo pe-

de-

de cucurrit?) *O virum, nullis non ordinibus, claſſibuſque fidelium imitandum!*

Sed caveſis, quæſo te, ab exclamationibus iſtiuſmodi; præſertim ſi tua nihil interſit, ſeu Patrocinium, ſeu cognitio cauſæ hujuſmodi. Nempe, præter nudum factum, idque humanis tantùm teſtibus nixum & mox tibi diſtinctiùs aperiendum, nihil dum certi habemus, cui non poſſit ſubeſſe falſum. Jus enim quod attinet, utrum validè, utrum licitè, heroicène, an ſecus, ſe ille geſſerit; id omne ſublimioris ac ſacratioris Tribunalis eſſe novimus, quàm ut rite poſſit, vel à privatis totius Orbis Doctoribus definiri. Hæc tamen eſt ejuſmodi Tribunalis Majeſtas, ut cauſarum Patronis, eidem informando ſubſervientibus, minimè ancillari dedignentur, ſed permagno ſibi ducant honori, celeberrimæ quæque Majorum Gentium Academiæ. Nam ecce tibi, quæ ſuper hoc facto Reſponſa illæ dedere: non quidem ex judiciaria, vel etiam conſultoria authoritate, quam ſibi nullam hoc in genere profitentur ineſſe; Sed ex una theologicæ rationis energia, Patronorum dumtaxat calamis exacuendis aptâ, ipſiuſque proinde Tribunalis criterium ſubitura.

Tuum ergo fuerit, Lector Pie, ea Reſponſa in hunc faſciculum commodè colligata revolvere, ſive cauſam patrocinaturus, aut forte conſultivum in ea laturus ſuffragium, ſive ad privatam tantùm eruditionem; quam certè ſacram, ac benè jucundam, ſimulque copioſam experieris. Faxit autem Deus Optimus Maximus, virginalis connubii Amator & Author, ut ad primævam ſponſæ Eccleſiæ juventutem recentibus hiſce floribus rarò admodum viſis renovandam; ad Neophytos novi Orbis in unguentorum iſtorum odorem, refragante licèt ipſorum indole, ſuaviter fortiterque trahendos; ad obſtruendâ denique Novatorum ora, nullo fermè non loco loquentium iniqua; quem interim PYRAUSTÆ contectum nomine admiraris, ei tibi mihique aliquando liceat, indultâ per Sanctam Sedem veneratione publicâ, non tam flores, quàm mores candidos ſolemniter exhibere. Vale.

SYN-

# SYNOPSIS

*Contentorum in hoc Liberculo.*


COnſultationis tenor. pag. III.
Fax occurrentium ſuper facto. IX.

RESPONSIO DD. SAC. FACULTATIS PARISIENSIS. XXIX.

Epiſtola Eminentiſſimi D. Card. de Geſures. XXXII.
Recognitio manus in forma. ibidem.

RESPONSIO UNIVERS. SALMANTICENSIS.

*Continet ſequentia inſtrumenta.*

ATteſtatio Secretarii Regii Concilii Indiarum ſuper mandato Regis ad dictam Univerſitatem directo, & ſuper iſtius Reſponſione ad dictum Concilium. XXXIII.
Decretum ejuſdem Univerſitatis Regi Catholico conſignandum unà cum Scripturis DD. Commiſſariorum. ibid.
Prima eſt Votum, quod Rmus P. Magiſter Manſo detulit eidem Univerſitati pro Dubii Reſponſione. pag. 1.
Secunda eſt Suffragium, datum ipſi Univer. à Rmo P. Mag. Herce. 39.
Tertia verò eſt illa, quam dedit Rmus P. Mag. Generelo. 113.
Legalizatio ſuper dd. Scripturarum Identitate; & ſuper qualitate earundem Authorum. 56. & 141.

RESPONSIO UNIVERSITATIS PATAVINÆ.

*Habet ſequentia Inſtrumenta.*

ACta Sac. DD. Collegii, ab ejus Notario actuata, è quibus primum, & quartum Decretum extant à pag. 59.
Legalizatio prædictorum in forma. 61.
Scriptura primi Referendarii, ſcilicèt Rmi, & Exmi P. Fr. Nicolai Buico, Profeſs. pro Scoti Doctrina. 62.
Alia Rmi, & Exmi D. Michaelis Verii, Theologiæ Doct. & Philoſophiæ Profeſſoris. 86.
Secundum & tertium Decretum de Scripturis diſpenſatis loquentia, habentur. 108.
Legalizatio ſuper identitate dd. Scripturar. & Author. earund. ibid.
Epiſtola Eruditiſſimi Viri Comitis Foreſti ad Rmum, & Exmum D. prælaudatæ Univ. Decanum, cum recognitione manus illius. 109.
Index Rerum Notabilium. 143.


CON-

# ERRATA SIC CORRIGANTUR.

| | | |
|---|---|---|
| Pag. XIII. lin. 11. aberare | lege | aberrare |
| Pag. XXI. lin. 22. tuanto | | quanto |
| Pag. XXV. lin. 34. etam | | etiam |
| Pag. XXXI. lin. 11. Potuiſſe | | Potuiſſet |
| Pag. 4. lin. 14. illud | | illum |
| Pag. 9. lin. 17. deſiderium | | deſiderium |
| Pag. ead. lin. 33. ; præmiſſa | | præmiſſa ; |
| Pag. 17. lin. 8. intelligi ſicuti | | intelligi ; niſi ſicuti |
| Pag. ead. lin. 25. poteſtas | | poteſt |
| Pag. 27. lin. 4. Canſa | | Cauſa |
| Pag. 37. lin. 18. . Ipſi | | ipſi |
| P. 41. l. 28. Quæſtio, ita communi omnium voto approbatum. | | *dele* |
| Pag. 87. lin. 19. quarum | | quorum |
| Pag. 88. lin. 2. connubile | | connubiale |
| Pag. 93. n. 29. lin. 15. arbitrer | | arbiter |
| Pag. 94. n. 33. lin. 9. Infra | | Infuſa |
| Pag. ead. n. eod. lin. 15. ſuperanda | | ſpectanda, ſeu ſperanda |
| Pag. 97. lin. 2. irruerat | | irruerant |
| Pag. 98. n. 50. lin. 6. haberentur | | laberentur |
| Pag. 99. n. 51. lin. 1. conjugium | | conjugum |
| Pag. 100. n. 62. lin. 3. eum | | cauſam |
| Pag. 101. n. 66. lin. 1. Prima | | Probatur |
| Pag. ead. n. eod. lin. 4. neque | | nempe |
| P. ead. n. 67. lin. 21. & D. Tereſiam | | D. Tereſiam |
| Pag. 102. lin. 18. quod | | quid |
| Pag. ead. n. 71. lin. 6. prudenter | | imprudenter |
| Pag. ead. n. 72. lin. 5. cur | | quem cur |
| Pag. 103. lin. 13. adimplendum | | ad adimplendum |
| Pag. ead. lin. 22. iſtis | | juſtis |
| Pag. 104. n. 76. lin. 4. ſecundùm | | cenſendum |
| Pag. 105. n. 80. lin. 8. neque | | nempe |
| Pag. ead. n. 82. lin. 1. continent | | continet |

Si aliqua alia menda irrepſerint quæ noſtros obtutus effugerint, pius Lector pro ſua benignitate corriget.

# CONSULTATIONIS

TENOR

*Solus omnibus unus.*

## FACTUM MIRABILE.

PYRAUSTA *Vir eximiæ virtutis, ſimplex, rectus*, ac timens Deum, & recedens à malo: in Hiſpaniis natus, humili genere, honeſtis Parentibus, mediocris fortunæ: Puer paſcendis Gregibus, Adoleſcens Agriculturæ deputatus: Junior ſervitio alieno mancipatus, varias expertus viciſſitudines, à Deo tamen præventus, mirificè profecit de virtute in virtutem. Provectior ætate in Novam Hiſpaniam ſolvit, ubi magna pollens induſtria, juſtis laboribus ſubſtantiam, remque familiarem adauxit. Amorem omnium ſibi conciliavit, animi integritate, ingenuitate, atque generoſæ indolis actibus, ſummam venerationem adeptus per heroicæ virtutis ſpecimina. Amore, & fide, pietateque in Deum maxima, conſcientia optima præditus, caſtitatem, virginitatemque adeò coluit, inter illas egregias dotes, ut jam tertiò per Mulieres ſibi à Diabolo paratas ingentes inſidias, in*

§ 2 *ipſo*

* *Job cap.* 1.

*ipſo juventutis flore eluſerit. Quin immò de ipſo Diabolo in fœminea ſpecie ſibi apparentē gratia Dei viriliter triumphavit. Oblatas aliquando egregias nuptias modeſtè rejecit. Poſtmodùm penè ſexagenarius, prudenter perpendens, non eſſe bonum hominem eſſe ſolum *, ſociam ſibi quærere cogitavit; talem quidem, uti dictitabat, cum qua, ſi poſſibile afforet, vivere liceret in caſto, & virginali connubio, ad inſtar S. Patriarchæ Joſeph cum Sanctiſſima Sponſa Virgine Deipara, ita ut jugum Matrimonii, abſque carnis tribulatione ſerena pace ſuſtinere valeret.*

*Annuit Deus ejus votis, nam honoratior quidam homo, hoc Pyrauſtæ propoſitum aſſecutus, enixè rogavit, ut filiam ſuam ſibi deſpondere dignaretur, ætatis tenellæ, dote pauperem, ſed virtutum decore divitem, qualem ipſe cupiebat; addens hoc Deo gratiſſimum futurum; Ei enim offerebat in conjugem, tantùm, ut ſua protectione fulciret, & à periculis mundi, atque pudoris jactura ob pauperiem eriperet. Pyrauſta, divinæ voluntati addictiſſimus, & pietatis operibus; Dei nutu negotium peragi advertens; in Sponſam accepit Puellam, ea lege, ut ejus ſubveniret indigentiæ, & patrocinaretur pudori; ſeque & rem ſuam familiarem, cura Sponſæ muniret. Erat enim tenella Sponſa Seniori Pyrauſtæ, ætate, & innocentia, ſicut filia; eam licitè nutrie-*

* *Gen. cap.* 2.

Digitized by Google

*triebat, abundantiùs in cunctis aderat; excepto congreſſu matrimoniali; quem nec ipſa Sponſa petebat, nec appetere unquam oſtendit. Sponſæ Sponſus caſtè ablandiebatur, illam in thalamo collocabat; Verùm ipſe virtutis Vir poſt pias preces extra thalamum in terra juxta ipſam cubabat; caſtè, ſanctèque cum ipſa vivendo. Invidens Diabolus tantæ virtuti, excitavit in Pyrauſtam Parentum Sponſæ perſecutionem, qui ducti cupidine divitiarum ejus, videntes uterum filiæ non intumeſcere ad hæredes enitendos, & ſcientes propoſitum Pyrauſtæ, ob quod Sponſam duxerat, non percipientes hoc fieri Dei, & virtutis amore, ipſum aggreſſi injuriis, quaſi Sponſam, & jura conjugii ſperneret, minantur ad judices provocaturos, pro dirimendo conjugio, quatenus eſſet ad illud ineptus. Omnia æquanimiter toleravit Pyrauſta, annis quidem provectior, ſed viribus robuſtiſſimus, eiſque reſpondit modeſtè: eorum filiam in ſponſam ſibi junxiſſe, ad ipſam protegendam; & ſi accidiſſet, ſe præ illa diem ultimum claudere, eam ex aſſe inſtituturum hæredem, ut poſſet vitam degere ab omni neceſſitate liberam; cæterum ſe omni culpa carere, quia Sponſam non malè habebat, nec ab ea abhorrebat, ut ipſamet fateretur. Verùm nec acquieſcentibus illis, Deus amovit occaſionem jurgiorum, ad æternam vitam vocata ſponſa, vix elapſo anno conjugii.*

*Poſtmodùm iniit Matrimonium ſecundum Pyrauſta,*

*rauſta, eodem propoſito virginitatis, & caſtitatis, eiſdem proteſtationibus; & in Sponſam aſſumpſit pauperculam pariter, ſed virtutibus excultam Puellam; quam ipſemet ob ejus pauperiem educaverat, & in ſacro Puellarum Gynæceo, ſervandam tradiderat, & aluerat uſque ad ætatem nuptiarum, quam offerentibus Parentibus deſponſavit; cùm qua eundem vitæ tenorem ſervavit; ut patuit ex teſtamento, quod gravi preſſus infirmitate confecit; in eo ex conſcientia declarans Sponſam in ſua virginitate relinquere, eò quod ipſam duxit in ſociam ad rei ſuæ familiaris cuſtodiam, ſuique curam, cùm malè degeret ſolus, & ejus protectionem gereret, & ſuis facultatibus ipſe inſerviret. At poſtquam ab infirmitate convaluit, cùm noviſſent Parentes Sponſæ, vel ex teſtamento, vel ex ſuſpitione, non tamen ex Sponſa, Pyrauſtam rem non habere cum illa, inſurrexerunt contra illum, eadem cupidine hæreditatis, ut fecerant priores, & per ſemetipſos, ac per confeſſarium Pyrauſtæ comminati ſunt periculum conſcientiæ, eò quia non incumberet beneficio Prolis, cum ſua Sponſa Matrimonium exercendo, juxta Sacramenti, & Eccleſiæ intentum; quæ omnia Pyrauſta tranquilla, & immutabili mente audiebat abſque ſcrupulo, ſciens certò certiùs, ſuam Sponſam tales non habere impulſus, & ſemet in conſcientia ſecurum. Et quidem ſecunda hæc Sponſa*

*Py-*

Digitized by Google

*Pyrauſtam vocabat ſuum Patrem, etiam ante nuptias, & jure pro Patre habebat, quia ipſam amore Dei educaverat, & aluerat. Ipſeque Pyrauſta ſicut filiam agnoſcebat, ita ut non ſemel equitando, ante ſe in ulnis portaret ad quandam Matronam, quæ eam miniſteria fœminea edoceret, & adeò innocenter ſe habebat, ut ſæpius puerilibus viſa ſit ludis ſeſe oblectari. Et hanc quoque ſuſtulit Deus poſt menſes octo ad ſedandas turbas excitatas à Satana, & quia ad altiora virtutis, & perfectionis culmina vellet Pyrauſtam ſuſtollere, uti de facto fecit: cùm Pyrauſta tandem ſæculo vale dixerit, ac diſtributis facultatibus pro Chriſto, & Pauperibus, Religioſam vitam profeſſus, propè centenarius diem clauſit, plenus meritis, & mirandis operibus. Poſt mortem verò Sponſarum, Pyrauſta gloriabundus in Domino, dicere ſolebat de Sponſis ſuis, ſe quaſdam Columbas ad Cœlum educaſſe lacte candidiores, Deo gratias plurimas agendo. Cùm autem à quibuſdam viris Religioſis interrogaretur, ſuper contentione Parentum Sponſarum: Reſpondit à Sponſis ſuis ſcire ſe non exiſſe tales querelas, neque Parentibus ullam cauſam dediſſe talium turbarum; inde laudibus efferendo ſynceritatem, & puritatem earum; Parentum potiùs incuſabat hæreditatis capiendæ cupiditatem. Igitur*

Quæ-

Quæritur à Sapientiſſimis Viris , & ornatiſſimis Virtutum Sectatoribus : An Pyrauſta in his malè ſe geſſerit ? An potiùs heroicæ virtutis actus perfecerit ?



Digitized by Google

# PAX OCCURRENTIUM SUPER PYRAUSTÆ MIRABILI FACTO.

1 UT AUTEM ERUDITISSIMIS VIRIS, qui in re tanti momenti calculum ponere dignabuntur, facem præferamus, operæ pretium erit, aliqua adducere, & alia deducere ad enucleationem facti propoſiti. Et primum quidem, ſuggerere ſyncerè fas erit: aliquorum ſententiam eſſe, Pyrauſtam non in omnibus benè egiſſe in hoc facto: aliorum autem, & quidem plurimorum irrefragabile, & inconcuſſum aſſertum eſt, Pyrauſtam actus heroicæ, ſublimiſque virtutis perfeciſſe, neque in ulla re defeciſſe, quod ut conſtare quiſque comperiat, prænotatur:

2 Sanctum, ac Præclariſſimum Virum Joannem de Capiſtrano, diſt. 3. q. 1. art. 6. ex Auguſtino ſuper Geneſim relato à Magiſtro ſent. in 4. diſt. 31. c. 1. & ex communi ſententia, tria bona ſtatuere Nuptiarum, nempe Fidem, Prolem, & Sacramentum: Hoc poſito idem Sanctus Joannes diſp. 3. q. 2. art. 1. initio, hæc habet: *Sed quæro*, inquit, *quod prædictorum bonorum ſit principalius? Eſt in Matrimonio illud, ſinè quo Matrimonium eſſe non poteſt; Hoc autem eſt Sacramentum; Ergo in Matrimonio principalius eſt Sacramentum, quàm ſit Fides, vel Proles, & hoc duplici reſpectu: Primò, quia dignius: Secundò, quia eſſentialius: Quod autem ſit dignius, patet, quia bonum Fidei, & bonum Prolis pertinent ad Matrimonium, in quantum eſt quoddam officium naturæ: Bonum autem Sacramenti, pertinet ad Matrimonium, in quantum eſt Sacramentum gratiæ, ſed dignior eſt gratia; quàm natura; ergo &c.*

3 Pergit autem Capiſtranus ſic: *Quod autem*, inquit, *Sacramentum ſit eſſentialius Matrimonii, quàm Fides, & Proles, patet: Quia Sacramentum pertinet ad Matrimonium, ratione inſeparabilitatis, ſecundùm Auguſtinum* lib. 9. ſuper Geneſ. *longè ante medium; inſeparabilitas autem eſſentialior eſt Matrimonio, quàm bonum Prolis, & bonum Fidei: Nam poſtquam Matrimonium eſt contractum, poſſunt ab ipſo ſeparari bonum Prolis, & bonum Fidei; vinculo tamen Matrimonii remanente.* Proſequitur hoc idem probare, etiam citato pro ſe Riccardo in 4. ſent. diſt. 31. art. 1. q. 3. & confutat oppoſitam ſen-



Digitized by Google

tentiam Gandulphi dicentis : duo tantùm eſſe bona Matrimonii, nimirum Fidem, & Prolem, quo refutato, ita proſequitur.

4 *Sed dic*, inquit, *quod Sacramentum Matrimonii dicitur hìc inſeparabilis conjunctio animorum, vel etiam mutua ſervitus, quorum utrumque eſt bonum Matrimonii, ſinè his autem bonis Matrimonium contrahi non poteſt: Poſtea verò ſinè his, eſſe poteſt. Ita dicit Gloſſ. Bartol. Brixienſis in dicto* cap. Omne : *Vbi vides, quod reprobat opinionem prædicti Gandulphi: Et nota, quod dicit hìc, ſcilicet in d.* c. Omne, *quia ibi loquitur de Matrimonio B. Virginis Glorioſæ cum Joſeph*.

5 Tandem ibidem concludit S. Joannes, ita reſolvendo ; *Sed quid*, inquit, *ſi per contrahentes nihil de prædictis bonis extitit cogitatum?* (ſupple in actu contrahendi, vel in contrahendo) *Reſpondetur*, *ait*, *quod adhuc Matrimonium eſt licitum, ſi aliud non impediat ; ſufficit enim, quod conditionem contrariam non apponant, quàm ſi apponerent Matrimonium nullum eſſet, ut ſi diceret vir : contraho tecum, ſi generationem Prolis evites, vel donec inveniam aliam digniorem, vel ſi te tradideris adulterandam, cauſa quæſtus* 20. q. 4. cap. Inter cætera, 32. q. 2. cap. Aliquando, *&* cap. Solet quæri, *& ſupra de conditionibus appoſitis* cap. fin.

6 Quamobrem juxta Sancti, & Sapientiſſimi hujus Viri doctrinam, Pyrauſtæ Matrimonia fuere valida, & licita, veraque Sacramenta, ipſe enim conſenſit in Matrimonium, quia Sponſas legitimè deſponſavit, ipſis conſentientibus; rectam, ſanamque immò ſanctiſſimam habuit in contrahendo intentionem, nimirum Sacramentum profitendi, quia vir ſanctimonia clarus; Fidem ſervandi, quia caſtiſſimus, & virgo, tot certaminibus probatus; habendi ſolatium Sponſæ, ejuſque ſocietatem, ipſique inſerviendi caſto, & pudico amore ut fecit; & virginitatem ſervandi, propoſito ſibi exemplo Sancti Patriarchæ Joſeph cum B. Deipara, nihilque de oppoſitis illicitis conditionibus, ſupra allegatis, apponendo. Enim verò Sanctus Joſeph cum B. Deipara validè, licitè, ſanctè, atque laudabiliſſimè contraxerunt Matrimonium, cum virginitatis ſervandæ voto, ut ipſe Capiſtranus teſtatur ſic.

7 Idem de Matrimonio, diſp. 3. q. 3. art. 2. Capiſtranus: *Secunda conſideratio*, inquit, *eſt, quia B. Virgo Maria antequam conciperet Filium Dei, matrimonialem ordinem eſt profeſſa, ut probat* Luc. 1. ibi: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui Nomen Nazareth ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & Nomen Virginis Maria; Non eſt igitur pauca laus talis ordinis, cùm fuerit per tantam Virginem decoratus, & quamquam propoſuiſſet virginitatem ſervare, conſenſit tamen nihilominus : ſanè credi poteſt non ſolùm Mariam, ſed etiam Joſeph apud ſe diſpoſuiſſe virginitatem ſervare, &c.* Ita Capiſtranus, & cum eo Magiſter

ſentent.

Digitized by Google

ſentent. & alii. Si ergo fuit validum, licitum, ſanctumque Matrimonium S. Joſeph, atque Deiparæ, cum voto virginitatis; eò magis talia videntur fuiſſe Matrimonia Pyrauſtæ, qui ideâ ſibi propoſitâ Matrimonii S. Joſeph, & B. Deiparæ, Matrimonia contraxit, cum propoſito ſervandi virginitatem, ſi foret poſſibile, uti ipſe dicebat, ut equidem poſſibile ſibi certò certiùs videbatur ex facto S. Joſeph, atque Deiparæ, fiducialiter agens, in ſpe Divinæ Gratiæ ſibi affuturæ, precibus, & meritis eorundem Sancti Patriarchæ Joſeph, & B. Deiparæ, quos imitari geſtiebat, ut verè, ac feliciſſimo exitu imitatus eſt ſemel, & iterum ad maximam gloriam Dei, qui dedit poteſtatem talem hominibus; necnon ad Eccleſiæ Sanctæ eximium ſplendorem, atque fidelium inſigne exemplum; ipſius Dei gratia aſpirante apud quem non erit impoſſibile omne verbum. Verbum namque Divinum, qui Matrimonium, quod antea erat inſtitutum in officium naturæ; & deindè in remedium, ipſum extulit ad celſitudinem Sacramenti, etiam conſilium dedit de virginitate ſervanda: proindè, qui hujuſmodi conſilium ſequi, & aſſequi ſtudet, non apponit oppoſitam conditionem Matrimonio, cum quo eſt, & fuit in multis Sanctis compoſſibile, ut in Henrico, Eduardo Regibus, & Elzeario Comite, ſed Matrimonium illuſtrius reddit, & virginitatem pretioſiorem.

8 Mirabitur quis fortè, in viro Agricola hos admirabiles auſus, quod ſibi propoſuerit exemplum, ſinè exemplo imitandum, conjugii ſcilicet Joſephi, & Deiparæ, ſed ne vanitatem in viro columbinæ ſimplicitatis ſuſpicetur, recordari poterit illius Spiritus Sancti verbi, * quod *qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*; fiducia enim Pyrauſtæ in Deum in hoc facto, cum ſimplicitate adeò bene coaluit, ut perfectiſſimè res ſibi ceſſerit; namque & conjugia contraxit, & abſque jurium conjugii injuria, Virgo permanſit. Et Deus non niſi in exemplum fidelibus ſuis propoſuit factum Joſephi, & Deiparæ, equidem imitandum, quod à nemine, quem ſciam fœliciùs, quàm à Pyrauſta imitatum fuit, ut ſibi propoſuerat, in gemino Matrimonio. Proindè Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 1. *Hoc exemplo* (inquit Joſeph ſcilicet, ac Deiparæ) *magnificè inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervata conſenſu continentia, poſſe permanere, vocarique conjugium non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu*. De conſenſu autem ſponſarum in Sanctum Pyrauſtæ propoſitum, evidentiſſima ſtat præſumptio in Pyrauſtæ favorem: quia nunquam conſtitit neque per facta, neque per verba, neque per ulla ſigna, nutus, aut indicia, ſponſas ſuas, nec petiiſſe, nec appetiiſſe copulam, quinimmò cohabitaſſe, remotâ copulâ: hæc enim ſufficiunt ad



* *Prov. cap.* 10.

præſumptionem conſenſus; conſenſus enim, qui præſumitur ab Eccleſia inter Sanctos Henricum, Eduardum, Elzearium, & alios hujuſmodi, non conſtitit ex publica ſtipulatione in contractu matrimoniali, facta cum ſponſis, ſed vel ex eorum dictis, vel factis, vel ex rationabili præſumptione, & tamen eos, ut Virgines recipit, & veneratur Sancta Mater Eccleſia, & in eorum Officiis, & Feſtivitatibus has eorum virtutes extollit. Qualis autem vitæ innocentia, morum ſanctimonia, operum pietate, inſignis fuerit Pyrauſta? Et Deus ſignis admirandis teſtatus eſt, & teſtantur Populi, nationeſque remotiſſimæ, in quibus verſatus eſt, ac requievit, qui prudentia eximia margaritam pretioſam virginitatis in ſinu velut concha latens clauſit. Sciebat enim, etiam virginitatem infatuari poſſe, niſi à vanitate laudum abſcondatur popularium, ut patet in Euangelio *. Ideo tantùm cùm dubitaret ſe moriturum poſt ſecundum conjugium declaravit virginem ſponſam ſuperſtitem relinquere, ut decori ſponſæ, hæc declaratio proficeret, non ut ſibi laudem adſciſceret.

9 Quando autem Pyrauſta quærebat ſibi ſponſam, fœminam utique virtutis, & animi ſibi ſimilis, ut ei eſſet in adjutorium, ut in hoc creaverat Deus Evam in ſociam, & adjutorium Adæ: non in perniciem, ſicut Eva in perniciem Adæ degeneravit, adeò rectè, & ſapienter apponebat illa verba, ut ſi poſſibile afforet, cum ſponſa in virginitate viveret, ſicut Joſeph, & Deipara: Optimo Pyrauſtæ videtur reſpondiſſe, & animos addidiſſe Auguſtinum, verbis ſuis illis de bono conjugali, cap. 3. *Conjugium*, inquit, *poteſt manere, etiam quando impoſſibilis eſt conjunctio maritalis*. Ergo à fortiori, quando caſtitas virginalis pronuba intervenit nuptiarum, cui favet Deus integritatis amator, opitulatur Chriſtus, Virginis deſponſatæ filius: Virgo ipſe virginis Eccleſiæ ſponſus, quam fovent Angeli virginitatis intimi familiares, & Sanctus Joſeph, atque Beatiſſima Deipara, dilectione maxima proſequuntur, quia vident ſua exempla imitari, & per exemplorum ſuorum imitatores, mundo teſtari, & veluti facto prædicari, & oſtendi, Sanctum Joſeph cum Sanctiſſima Virgine Deipara verè conjuges Virgines fuiſſe, contra malignos diaboli ſectatores Hereticos, Virginitatem Mariæ Deiparæ blaſphemantes. Si enim hodie in viro Agricola ſimpliciſſimi animi, oſtenditur miraculum iſtud ingens, & rariſſimum Divinæ Gratiæ, in Gemino Matrimonio ſervatæ virginitatis: non niſi ſtultiſſimus, aut conſummatæ perfidiæ perditiſſimus aliquis negare audebit in conjugio S. Joſeph, & B. Deiparæ, jugiter viguiſſe præclariſſimam virginitatem, cujus exemplo ſibi propoſito, potuit vir humilis, ſed alioquin viribus robuſtus, robuſtiorque virtute, atque in Deum pietate, in gemino conjugio ſervare.

10 Au-

* *Matth. cap. 25.*

10 Auget autem in facto Pyrauſtæ admirationem, ultra quàm credi poteſt, quod in ſuis Matrimoniis, tum in fieri, tum in facto eſſe apparuit præſtantiſſimæ ſapientię vir, cùm eſſet humilis, ſimplex, & prorſus illiteratus Agricola: Magna quidem potentia Dei, & ab humilibus honoratur. Ipſe ſubiit Matrimonia ſua tanta mentis ſecuritate, cum propoſito ſervandi virginitatem, ſi ſibi poſſibile afforet, ad exemplum Joſeph, atque Deiparæ, prout, ſibi ex Deo poſſibile fuit, cui ſe credidit in hoc facto, ac ſi fuiſſet maximus Juriſta, vel Theologus, & in Sanctis Patribus verſatiſſimus, quorum fulcitur ejus factum eximiis doctrinis, ut ſtatim oſtendere non pigebit. Sed vel in primis non prætereundum eſt, plurimum à ſcopo aberare eos, qui Pyrauſtam aſſerunt contraxiſſe Matrimonia, cum intentione non conſummandi, quod minimè verum fuit, quia ab intentione præſcindebat; tunc poteſt enim quis ex allata doctrina Sancti Joannis de Capiſtrano in contrahendo Matrimonio non advertere, ſeu cogitare de copula, aliiſque bonis Matrimonii ſecundariis, quod eſt ab eis præſcindere in contrahendo, abſque detrimento contractus. Namque objectum immediatum intentionis mentis ejus, fuit virtus virginitatis ſervandæ, ad exemplum Joſeph, & Mariæ, cui actui quidem conſequitur propoſitum continentiæ à carnali copula, ſed eſt de conſequenti, non de principali, ſi quis enim in contrahendo haberet principaliter hunc actum: nolle utcumque ſe Matrimonium conſummare; poſſet quidem in dubium verti validitas Matrimonii, ob repugnantiam præviam ad bonum prolis: ſi quis autem amore virtutis, & excitamento exempli eximii, pręcipuè S. Joſeph, & Deiparæ proponeret, ſi poſſibile afforet, virginitatem ſervare, licèt de conſequenti præſupponatur continentia à copula, non eſt tamen tale propoſitum injurium Sacramento Matrimonii, nec bono prolis, quia pro objecto habet bonum præſtantius, & Deo acceptius, quod eſt virginalis prærogativa, quæ omnes ſuperat laudes, & captum, ſua ſublimi excellentia, dum ritè, & ſinè offendiculo ſervatur etiam in Matrimonio, ut Pyrauſta fecit, & ritè facere potuit, ut oſtendere facilè, & plenè, nunc ad Dei gloriam properamus.

11 Sanctus Bonaventura, vel S. Thomas, vel quilibet alius ex celeberrimis antiquis Doctoribus, cui adſcribitur Opuſculum inſcriptum: *Compendium Theologicæ veritatis*. Anno 1375. Venetiis impreſſum, per Deuchinum, Auctore Fratre Joanne de Combis Lugdunenſi Minorita, lib. 6. c. 38. de Matrimon. pag. mihi 431. *Matrimonium*, inquit, *eſt conjunctio maris, & fœminæ, individuam vitæ conſuetudinem retinens: Matrimonium per Sponſalia initiatur, per conſenſum animorum expreſſum per verba de præſenti, ratificatur, per carnalem copulam conſummatur, & perficitur. Ad hoc autem ſciendum*, quòd

*du-*

*duplex eſt perfectio : Prima eſt in eſſe ſimpliciter ; ſecunda eſt in eſſe completo : ſicut patet in Puero , in quo eſt perfectio , quantum ad eſſe hominis ſimpliciter , ſed non eſt in eo perfectio , quantum ad eſſe completum, ſecundùm quantitatem , & operationem hominis . Eodem modo dicendum eſt de Matrimonio , de quo duplex eſt perfectio : Prima eſt , quæ facit Matrimonium , ſcilicet conſenſus animorum per verba de præſenti expreſſus , & ad hanc non exigitur copula carnalis . Secunda perfectio eſt ; quæ Matrimonium conſummat , & ad hanc exigitur carnalis copula .*

12 Hanc præclaram , & veram doctrinam , ſibi mirificè applicavit Pyrauſta in ſuis Matrimoniis . Enim verò ſtuduit tantum perfectioni Matrimonii , quæ dicitur ſimpliciter , & quæ conſtituit Matrimonium ratum , & perfectum , ex conſenſu mutuo animorum præſcindendo à carnali copula , quæ ſpectat ad Matrimonium conſummatum , in quo ſe habuit juxta ſuperiorem doctrinam velut puer ſimpliciſſimus , innocens , & purus ; virgo, & caſtus, ſed verè ſponſus . Ita enim erant verè ſponſi Adam , & Eva in Paradiſo Terreſtri , ante peccatum innocentes, nudi , & puri velut pueri , procul ab omni copula carnali , ut evidentiſſimè patet in Sacris Scripturis * ; Verùm ne diſcedamus ab idea Matrimoniorum Pyrauſtæ , quæ fuit Matrimonium S. Joſeph cum Beatiſſima Deipara , tale quidem fuiſſe hoc ſanctum Matrimonium P. Matthæus Ferchius Veglienſis Minorita , Doctor , & publicus in Patavina Univerſitate Profeſſor , in Epitome Theologico 4. ſent. ſuper Magiſtrum, diſt. 28. q. 1. ubi differens de Matrimonio , hæc habet : *Quamobrem* , inquit , *poteſt transferri poteſtas corporis proprii in conjugem bifariam : Primò negativè , quia vir ſolutus poteſt ducere quamcumque mulierem; mulier ſoluta quemcumque virum , poteſt quis dare & recipere poteſtatem corporis uni , nè liceat dare ſe alteri ſub peccato , & pœna adulterii , quæ obligatio obligat conjuges ad ſemper , & pro ſemper : Secundò poſitivè , quia recipiens poteſtatem , acquirit jus petendi , dans ſubit debitum reddendi ; quod debitum obligat pro loco, & tempore . Priore modo Deipara , & Joſeph Matrimonium contrahentes , tranſtulerunt poteſtatem corporum , non ſecundo , nec enim intemerata Virgo dedit , vel actum carnalem , vel poteſtatem , ſive abſolutè , ſive conditionatè , idque ex ſpeciali inſtructione Dei , & expreſſa pactione cum Joſepho , dicens non minus ad hominem , quam ad Angelum . Quoniam virum non cognoſco* . Luc. cap. 1. Ita Ferchius in tota iſta ſua quæſtione, cum Magiſtro ſentent. hanc probat doctiſſimè præciſam , & abſolutiſſimam concluſionem , quam ſic proponit , *Concluſio* , inquit , *ſecundum Magiſtrum : Ad Matrimonium Chriſtianum*

non

* *Gen. cap. 2.*

Digitized by Google

*non eſt neceſſarius conſenſus in copulam carnalem*. Citat quoque in hanc ſententiam Vorilon, qui fusè de ea differit. Adhærent huic ſententiæ totis nervis Patres ex Salmantina Univerſitate Doctores, dicti Salmaticenſes tom. 9. de Matrimonio, cap. 3. punct. 3. ubi præclarè de hoc differentes ſub num. 26. ita habent. *Dico*, inquiunt, *ſecundò, quod ſi quis poſitivè excluderet duos fines extrinſecos Matrimonii, accidentales tamen, ut eſt prolis procreatio, & concupiſcentiæ remedium; licitè, & validè Matrimonium contraheret; tenet Cajetanus* tom. 1. Opuſc. tract. 12. de Matrim. q. 3. Dicaſt. tract. 5. diſp. 2. dub. 25. n. 313. *Ut quando ſenes contrahunt, abſque ſpe prolis procurandæ, aut ſteriles, qui tamen eſſent apti ad copulam, ſed nec ipſam habere, nec remedium concupiſcentiæ intenderent, ſed ſolùm bonum Matrimonii, quod eſt in cohabitatione utriuſque bonorum communione, & amore, & mutua fidelitate, quia jam ſalvatur finis Matrimonii ſubſtantialis, & non apponitur finis pravus: nemoque tenetur omnes fines Matrimonii prætendere, quod conſtat manifeſtè in conjugio Beatiſs. Virg. cum S. Patriarcha Joſepho, in quo nec remedium concupiſcentiæ, nec prolis procreatio intendebatur, & tamen abſque peccato, & validè contraxerunt*. Cum iſtis ſentit & Pater Claudius Fraſen. Egregius Minorita Doctor, & publicus Profeſſor in Univerſitate Pariſienſi in ſuo Scoto Academico, tom. 4. tract. 3. de Matrim. diſp. ultim. art. 1. q. 2. num. 11. ubi eruditiſſimè aſſerit, & ſuſtinet, quod copula carnalis non eſt pars eſſentialis Matrimonii, ex quo plura hic ad propoſitum tranſcribere operæ pretium erit: Ecce igitur quemadmodum Pyrauſta ſimplex Agricola, ad caſtæ ſuæ virginitatis tutelam in nubendo, velut magnus, immò cœleſtis Theologus præcavit, &c. Et præſcindendo à copula, intendit ſponſas ſibi aſſumere.

13 Neque nova, aut nutans hæc doctrina eſt, ſed antiqua, ſolida, tutiſſima, atque fundata, cui nedum Theologi, ſed Patres Sancti graviores, & jura ipſa concordant. Sanctus Joannes Chryſoſt. ſeu quilibet ſit auctor operis imperfecti in Matth. & affertur, cap. *Omnis res, &c. Matrimonium*, inquit, *non facit coitus, ſed voluntas*. Et Iſidorus lib. 9. Etymolog. c. 7. & affertur, cap. *Conjuges eodem, &c. Conjuges*, inquit, *veriùs appellantur à prima deſponſationis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus*. Cui accinit Sanctus Auguſtinus de Nupt. & conjug. lib. 1. cap. 11. *Conjux vocatur*, inquit, *à prima fide deſponſationis, quam concubitu non cognoverat Joſeph, nec fuerat cogniturus, nec poterat* ( alias pejeraret ) *nec mendax manſerat conjugis appellatio*. Et idem addit Auguſtinus, inter Chriſti Parentes fuiſſe conjugium mente, non carne, nempe conſenſu, non copula; Et inibi pergit oſtendere, omnibus bonis conjugium S. Joſephi cum Beatiſs. Deipara affluiſſe. Et de bono conjugali, cap. 1.

lo-

loquens Auguſtinus de Matrimonio inſtituto ad caſtè in virginitate vivendum, non ad copulam: *Poterat enim*, inquit, *eſſe in utroque ſexu, etiam ſinè tali comixtione alterius obſequentis amicabilis quædam, & germana ſocietas*. Quod enucleatiùs replicat ibid. cap. 3. *Quod mihi*, inquit, *non videtur, propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem, alioquin non jam diceretur conjugium in ſenibus præſertim, ſi vel amiſiſſent filios, vel minimè genuiſſent: Nunc verò in bono licèt annoſo conjugio, etſi emarcuerit ardor ætatis, inter maſculum, & fœminam; viget tamen ardor charitatis inter maritum, & uxorem*. Omnia hæc confirmata inveniuntur in placitis Summorum Eccleſiæ Pontificum definientium, Matrimonium per ſolum conſenſum verbis expreſſum contrahi, quæ videri poterunt in cap. cùm locum, cap. cùm apud Sedem Apoſtolicam, cap. tuæ fraternitati, cap. tua nos duxit. De Sponſ. Ex quibus omnibus uberrimè conſtat Pyrauſtam ſua Matrimonia contraxiſſe, juxta leges Dei, Naturæ, Eccleſiæ; & juxta ſaniorem doctrinam Patrum, Doctorum, & Sapientium, cui pro ſcuto inſuperabili eſt Matrimonium S. Patriarchæ Joſeph, & Beatæ Virginis, ad cujus ideam ipſe propiùs cæteris, qui ſponſi Virgines vixerunt, acceſſit, quo magis propoſuerat ante nuptias, & in eis contrahendis in ſtatu virginitatis permanere conjugatus; ſicut ſibi conſtanti animo propoſuerat ipſa Virgo Deipara, nullo de hoc cum Joſeph habito prævio ſermone: Et ipſe Joſeph, nullo habito ſermone cum ea. Ita ut ſiquis vellet imponere Pyrauſtæ, quod malè feciſſet de ſuo propoſito nihil ſermonis cum ſponſis habendo, nihil proficeret; quia nec hoc fecerunt ad invicem S. Joſeph, & Beatiſſima Deipara; & ſi hoc requiri in Pyrauſta, quis perſiſtere velit, ei ſatisfacere poſſemus, oſtendendo quod ſatis ille ſeſe expreſſerat, cùm ante nuptias loqueretur; cupere ſe ſponſam, cùm qua vivere poſſet, velut vixerat S. Joſeph cum Beatiſſima Deipara, de quo optimè conſcii Parentes Puellarum, eas ei obtulerunt, quales cupere dictitabat; virtutibus excultas, & adverſas ab omni malitia, ut eas patrocinaretur, à periculis mundi eriperet, atque ſuis divitiis foveret, aleret, ditaret, atque dotaret, ut generosè, & liberaliter fecit. Et iſta ſuggerere oportuit ad oſtendendam, & oſtentandam ſublimitatem heroicæ virtutis Pyrauſtæ, qui æmulando S. Patriarchæ Joſeph, cum Sanctiſſima Deipara Matrimonium, æmulos non paucos tum in vita, tum poſt, expertus eſt valde infenſos; quod ſolet eſſe fatum virtutis, quæ ſinè æmulatione tepeſcit, & abſque æmulis gloria debitæ famæ caret; Ideo ad tantæ virtutis ſplendorem audire fas erit, quæ obſiſtant.

14 Obſiſtere videtur in primis contra Matrimoniorum Pyrauſtæ ſubſtantiam, Innocentius III. in cap. debitum, de Bigamis non ordinan-



Digitized by Google

nandis. *Profectò*, inquit, *conjugium illud, quod non eſt commixtione corporum conſummatum, non pertinet ad illud conjugium deſignandum, quod inter Chriſtum, & Eccleſiam per Incarnationis Myſterium eſt contractum; juxta quod Paulus exponens illud. Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea, &c. ſtatim ſubjungit: Hoc autem dico magnum Sacramentum in Chriſto, & Eccleſia*. Igitur non videtur illud Matrimonium eſſe Sacramentum, quod ad ſignificandam unionem Chriſti cum Eccleſia, conſummatum non eſt per copulam; quia Matrimonium ratum, dumtaxat figurat conjunctionem Chriſti cum Anima per charitatem: Ex 1. Cor. cap. 6. *Qui adhæret Deo*, inquit, *unus ſpiritus eſt cum Deo*; quæ unio etiam fuiſſet inter Chriſtum, & Eccleſiam, & juſtam animam, etſi Chriſtus non adveniſſet, ideoque ad veram ſignificationem connubii Chriſti cum Eccleſia, oportet copulam intercedere inter Matrimonio junctos, & ſubinde neque Matrimonia Pyrauſtæ fuerunt legitima. Hæc autem aſſertio licèt magis latè pateat, quàm factum hic propoſitum, quia ad omnia ſimilia extenditur tamen contra jura adducta, & contra fundamenta pro noſtro facto urgeret, niſi in promptu eſſet, quid reſponderi poteſt.

15 Quamobrem reſponſio ex S. Bonaventura exeat, qui diſt.26. in 4. q.3.art.2. ita ſapientiſſimè diſſerit: *In Matrimonio*, inquit, *conſiderantur hæc tria, ſcilicet, ſignum, officium, & remedium. Quantum ad ſignificationem dicendum quod duplex eſt ejus ſignificatio: ſignificat enim conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ per charitatem, & conjunctionem eorundem per naturæ conformitatem. Similiter duplex eſt officium, unum enim eſt mutuæ educationis, & fomenti, aliud procreandæ prolis. Similiter duplex eſt remedium unum eſt quantum ad concupiſcentiæ defluxionem, ut ſcilicet non ad omnem mulierem intendat: Aliud quantum ad inordinationem, ut ſcilicet non libidine, ſed amore prolis, nec ſinè matrimoniali affectu mulierem cognoſcat. Primum igitur ſignatum, & primum officium, & primum remedium, ſunt in Sacramento Matrimonii, quantum ad conjunctionem animorum; ſecundum eſt ſolùm quantum ad conjunctionem corporum. Et primum eſt de ſubſtantia Matrimonii, quantum ad eſſe neceſſarium; ſecundum quantum ad eſſe plenum*. Ex qua pulchra doctrina deprehenditur, quod ſignificatio, & ſrepræſentatio connubii Chriſti cum Eccleſia quæ fit per Sacramentum Matrimonii non eſt tota, nec completa, nec principalis ratio Sacramenti hujuſmodi: cùm in ratione Sacramenti Matrimonium ſit & ipſum ſignum ſenſibile gratiam Dei efficaciter ſignificans, quæ confertur in tali Sacramento Animabus ſuſcipientibus illud, & hæc eſt ejus præcipua ſignificatio, ideoque aliæ ſignificationes figurales ſe habent incompletè ad matrimonium, & myſticè tantùm: nec ſignificatio conjugii Chriſti cum Eccleſia, ſi ſola ſumatur, refert perfectam rationem Sacramenti, quam

rationem Matrimonium præciſè deſumit ex hac dignitate, quàm ſcilicet obtinet, prout ratione gratiæ ſanctificantis, qua invicem conjunguntur conjugum animi, repræſentat illam unionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, & gratiam ipſam ſanctificantem, quam infundit: ideoque & Apoſtolus de illa loquitur conjunctione Chriſti cum Eccleſia, quæ fit per charitatem, & gratiam, quàm Matrimonium repræſentat. Et ita juxta S. Bonaventuræ doctrinam interpretari debent verba Innocentii, de ſacramento Matrimonii, quantum ad eſſe plenum, cum omnibus accidentalibus, ipſum concernentibus.

16 Nititur quidem Gratianus aſſumptum hoc ſuſtinere, quod ſcilicet copula carnalis ſit pars Sacramenti; ita ut ſinè copula carnali Matrimonium Sacramentum dici nequeat, & allegat pro ſe 27. q. 2. Can. Non eſt dubium, &c. Et Can. cum Societas, &c. ſed in hoc rejicitur, quippè cùm Canones illos falsò attexuerit, ut oſtendit Fraſſen. Quare magiſter ſentent. quem in hac re laudat ipſe Calvinus, cum num. 26. retuliſſet præfatos Canones illos duos, quorum primum depromptum fingit ex verbis Sancti Auguſtini: Alterum ex verbis S. Leonis Papæ, ad inſinuandum, quod copula carnalis, & commixtio ſexuum neceſſaria ſit ad perfectum conjugium in ratione Sacramenti; ipſe Magiſter contra Gratianum ſic juſto zelo declamat.

17 *Hoc*, inquit Magiſter, *ſi ſecundum ſuperficiem verborum, quis acceperit, inducitur in errorem tantum, ut dicat ſinè carnali copula non eſſe contractum Matrimonium: Et inter Mariam, & Joſeph non fuiſſe conjugium, vel non fuiſſe perfectum, quod nefas eſt ſentire. Tantò enim ſanctius fuit, atque perfectius, quantò à carnali opere immunis. Sed ſuperiùs poſita, ea ratione dicta intelligenda, non quia pertineat Mulier illa ad Matrimonium, quod expreſſam, & plenam tenet figuram conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ. Figurat enim illam unionem Chriſti, & Eccleſiæ, quæ eſt in charitate, ſed non illam, quæ eſt in naturæ conformitate. Eſt ergo, & in illo Matrimonio typus conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, ſed illius tantùm, qua Eccleſia Chriſti charitate unitur: non illius, qua per ſuſceptionem carnis capiti membra uniuntur. Nec ideo tamen minùs Sanctum eſt conjugium; quia ut ait S. Auguſtinus, in nuptiis plus valet Sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas ventris. Eſt etiam conjugium ſignum ſpiritualis conjunctionis, & dilectionis animorum, quia inter ſe conjuges uniri debent; unde Apoſtolus ait: Viri diligite uxores veſtras, ut corpora veſtra.* Hæc excerpta ſunt ab ipſo Fraſſenio, quæ apprimè muniunt ea, quæ hactenus allata ſunt pro Pyrauſtæ mirabili Matrimonio, de quo ut Sacramento magis audiendi ſunt Theologi, quàm alii quicumque.

18 Contra Pyrauſtam tamen, ſicut inſurrexerunt ſponſarum Parentes, dum viveret, ſic modò inſurgere poſſent pro his, illi, qui facto di-

dictis repugnant. Parentes ſanè inſanè inſurrexerunt contra Pyrauſtam pro filiabus ſuis ſponſis ejus, illum injuriis impetentes, quòd non fœcundaret ſponſas, immò ſperneret, Matrimonia non conſummando, improperantes impotentiam ad Matrimonii uſum, & in judicium vocaturos minantes ad dirimendum Matrimonium; & hi præcipuè primæ ſponſæ Parentes fuerunt: Quibus modeſtè Pyrauſta mitis reſpondit, ut in facto retulimus. Hujuſmodi turbas excitatas à diabolo, quis non videt? Invidet diabolus hominibus ab initio; & invidit præcipuè Protoplaſtis noſtris in Paradiſo, dum virgines in conjugio viverent, pace ſumma inter ſeſe, & cum propriis concupiſcentiis nondum rebellibus, & Adam per uxorem decepit, atque turbavit; indè malignus ille hoſtis didicit per uxores maritos impetere, ut impelleret in præceps, ita curavit per uxorem impellere Sanctum Job, patientiæ prodigium; & Sanctum Senem Tobiam pariter per uxorem pervertere conatus eſt: nunc autem valde mirandum eſt, quod per parentes Sponſarum, Pyrauſtam impellere conatus ſit, non per ejus ſponſas! Certè in facto Pyrauſtæ invenerat Satan, quid magis invideret, & ſua malignitate perſequeretur, quia exempla tantæ virtutis, quæ abſconderat Deus diabolo, ut refert Martyr Ignatius, in Domina noſtra Maria, ut deciperetur in ſua malitia; in Pyrauſta renovata patebant, in exemplum futura ad inferni deſtructionem, & Dei gloriam ſupremam. Tamen ſponſis ſilentibus, Parentes perſtrepere audiuntur, utique per Satanam incitati ad tentandum probum Pyrauſtam. Cur ergo non potius incitavit ſponſas contra ipſum? Non niſi certè, quia cùm ſponſo jam de virginitate ſervanda, convenerant.

19 Dicet fortè aliquis, quod ſponſæ, ut verecundæ, de copula Matrimonii Marito Pyrauſtæ quidquam mutire non ſunt auſæ ex erubeſcentia, & fortaſſe Parentibus ſuis fidentiùs, præcipuè matribus, hoc dixerint. Hæc vana omnino, & inſubſiſtentia ſunt figmenta. Et vel in primis, quia nullus unquam dixit aut dicere, ſeu teſtari, & interrogatus, potuit; quia falſum prorſus eſt: Inſuper licèt ego, qui hæc ſcribo, uxorem nunquam duxerim, ſcio tamen ex miniſterio Sacramenti Pœnitentiæ, uxores minimè poſſe quieſcere, & non in maxima jurgia prodire, ſi vel mariti eas non cognoſcant, vel in fraudem Matrimonii, alienis fœminis adhæreant. ita ut ex zelotypia, vel ex negligentia mariti ad copulam fiant adeò impatientes, ut domum invertant, familiam obvertant, apud amicas querelas maximas, & perpetuas miſceant; aliquando maritos deſerant, fugiant, ſpernant, & in judicium provocent: per veneficia, per maleficia, & per ipſos procos ſibi ad vindictam procuratos, enecent; legi enim apud peritos medicæ artis, fœminam incentiva concupiſcentiæ duriora experiri, quia per primam fœminam Evam, concupiſcentia evaſit mala, & rebellis in nobis, & ex aliis rationibus, quæ

patent expertis, & modeſtia honeſtatis hic reticere cogit. Si ergo Pyrauſta cum ſuis ſponſis pace fruitur tranquilla, nec auditur in ejus domo ulla, nec minima turbatio, & tamen viget inter ipſum, & ſponſas caſtiſſima virginitas, quomodo fingi poterit: Pyrauſtam malè cum ſuis ſponſis ſe gerere, ipſiſque invitis à copula carnis abſtinere?

20 Quod verò ſponſæ quidquam manifeſtarint Parentibus, omnino inveriſimile eſt: nam poſtquam Parentes increparunt Pyrauſtam eique minati ſunt in judicium provocaturos, & hoc non obſtante ipſe perſeveravit in ſua virginitate; ſi ex ſponſarum querelis Parentes hoc feciſſent, & poſtquam fecerint, ſponſæ proficere ad ſuum intentum non vidiſſent; utique magis, magiſque furiis libidinum agitatæ in Pyrauſtam irruiſſent, omnia ſua jura invertiſſent, atque projectis verecundiæ, ac modeſtiæ repagulis, clamoribus mundum impleviſſent; atqui hoc non fecerunt, nec per nutum, ullus unquam notavit in ſponſis Pyrauſtæ, aut appetitum ad copulam, aut de non copula lamenta miſceri: erg.

21 Dixerunt quidam, quod Pyrauſta eſſet, vel impotens, vel inſenſibilis, vel mulierum oſor. Verùm inſenſati potiùs, qui hæc effutire auſi ſunt. Impotens non erat Pyrauſta, quamquam propè ſexagenarius, quia centenarius eſt mortuus, & ultrà ſeptuageſimum annum ferociſſimos Tauros ſilveſtres domabat, contra indomitas beſtias confligebat; & ſi contra ipſum diabolum ſenſibiliter luctatum fuiſſe aſſeverarem, falſum non aſſererem; labores autem indefeſſos, & graviſſimos indefatigabilis uſque ad mortem ſubiit, & vegetus ſemper perſtitit; quomodo ergo impotens? Spado, vel Eunuchus non erat, & ſi talis fuiſſet, nec iniiſſet Matrimonium, nec evitaſſet moleſtias libidinis, à quibus non eximuntur Spadones, aut evirati, ut patet apud Auctores de hujuſmodi tractantibus, & ex ipſis Eunuchis, vel eviratis viventibus. Inſenſibilis neque fuit, quia filius Adæ erat, ſicut quilibet homo ex eodem luto participans; quomodo ergo ut homo natus de muliere; cæterorum hominum miſeriis non repleretur? Quod verò odio habuerit fœminas, unde colligi (bone Deus!) unquam poteſt, cùm fœminas ſibi ſponſas quæſierit, eaſque dotaverit, nutrierit, eis perfectiſſima dilectione blanditus fuerit, & ſuas hæredes ex aſſe inſtituturus eſſet?

22 Cogentur ergo, velint, nolint, dicere, qui talia ſuſpicantur, Pyrauſtam à Deo, cui fideliſſimè ſerviebat, tali munitum fuiſſe gratia, & decoratum innocentia; ut ſicuti in ſuis membris gerebat Chriſtum, & corpus ſuum caſtigabat, in ſervitutem ſpiritus redigens, virgo vivens, & caſtus invitis diabolo, & mundo, fœminarumque inſidiis, & carnem ſuam diris cruciatibus, & laboribus, atque macerationibus perſequens, carnem alienam non appetere, immò ab iſta abſtinere, noverat. Dominus ſui ipſius factus, ſuorumque appetituum moderator, ut jam ex diuturna virginitate balſamum incorruptionis, ex gratia Dei, ita

in-

Digitized by Google

induerit, ut omnium fœminarum conſortia, commercia, & ipſum halitum evitans non ſit veritus cum ſuis ſponſis, tutiſſima virginitate converſari caſtiſſimè, gratia fretus Sacramenti, protectione Altiſſimi, & præcipuè Virginis Deiparæ, Sanctique Joſeph, cujus exempla rediviva fecit, & aliis pervia illis, qui fiducialiter agunt, ſpe in divino auxilio firmata.

23 Quod autem ſimilem cum Pyrauſta propoſitum induere potuerint, immo & induerint ejus ſponſę, patet ex earum quiete, & tranquilla cum ſponſo pace; & quia fœminæ raræ virtutis erant, ab ipſo tales quæſitæ, & ſelectæ, ita ut nec earum pacem cum ſponſo, diabolus potuerit interturbare, neque auſus fuerit hoc pertentare, immo nec ipſas ſuggeſtionibus convenire, aut circumvenire, quod utique ſi potuiſſet, feciſſet, ut fecit cum aliis viris etiam ſanctiſſimis, quia durius ita Pyrauſtam potuiſſet exagitare, & ſua malitia, magis ſperare victoriam, quam non obtinuit, licèt per Parentes ſponſarum eum aggredi non deſtiterit. Juvit præterea plurimum ſponſas ad caſtam virginitatem, ſponſum talem habere, qui virginitatem colebat, puriſſimamque caſtitatem ſpirabat. Si enim Sanctus Antonius de Padua lilium illud virginitatis conſpicuum, data ſua tunica cuidam Juveni Novitio acerrimè à diabolo, & carne, ardoribus vehementiſſimis libidinum vexato: ſtatim, ac eam induit Novitius, ſenſit ſe prorſus liberum à peſte luxuriæ; quanto magis hoc donum per Chriſti gratiam, & caſtitatem à viro caſtiſſimo ſponſo veluti contrahere poterant ſponſæ, ex intimo cum eo contubernio? Agitur enim hic viro meritis, & virtutibus celeberrimo. De hujuſmodi rebus planè æqui non erunt Judices, qui ſub libidinum, & concupiſcentiarum tyrannide vivunt captivi, ſuæ carni vim inferre neſcientes: * Sed judex ſit ille Paulus Apoſtolus, qui à Satana jugiter colaphizatus, & ſtimulis ſuę carnis dirè tortus, veruntamen invictiſſimus perſiſtens, omnes cupiebat virgines eſſe, ſicut ipſe erat, & unicuique ex divina largitate donum aliquod conceſſum aſſerebat. Pyrauſta ergo donum virginitatis conſecutus, ſicut cum ſua carne jam domita in pace vivebat, ſic nec timebat à carne ſuarum ſponſarum virginum, quas tamquam innocentes, candidaſque columbas, ut ipſe eas vocabat, ſponſo Chriſto cuſtodiebat, nutriebat, & brevi ad Chriſtum tranſmiſit.

24 Quod verò, eſtò perculſi, Parentes ſponſarum Pyrauſtam aggreſſi fuerint, non quidem à ſponſarum querelis, ſed ab iniquo mammona excitatos fuiſſe, oſtendit ipſe Pyrauſta, cùm ad eos placandos, proteſtatus fuerit, ſe relicturum ſponſas ex aſſe hæredes; ut commodè, & procul à neceſſitate viverent, ſi contingeret ipſum eas præve-

* 2. *Cor. cap.* 12.

venire morte, quod de utraque facturus erat, niſi ipſæ morte prævenisſent illum; quod non ſinè numine accidit, quia cùm videret Deus, Parentes ſponſarum, à jurgiis, & moleſtiis in Pyrauſtam non quieſcere, citiùs ſponſas ad ſe vocavit à ſæculo; quę candidiores lacte, ut Palumbes ad Chriſtum ſponſum evolarunt. A nullo ergo moti præterquam à propria avaritia, quia pauperes valde erant, de quo conqueſtus eſt apud Religioſos Pyrauſta, conſurrexerunt in ipſum, ſponſarum Parentes; eò quod jam ante Matrimonia, ſcirent ejus propoſitum, vivendi cum ſponſis, ut S. Joſeph cum Deipara, nec videbant filias ſponſas uterum gerere; & ex alia parte per hæredes inhiabant ejus divitiis, ut per hæredes tutius aſſequerentur: Iſta erant Parentum motiva. Tamen bonus Pyrauſta mortuis ſponſis, dotem, quam ab eis non receperat, ſed ipſe ſponſis tradiderat de propria ſubſtantia, mortuis illis, Parentibus, ac ſi recepiſſet, dono tranſmiſit.

25 Sed per Confeſſarium quid ſuadere ſperabant Pyrauſtæ Parentes ſponſæ ſecundæ, cùm ipſe ſciret, atque pluries teſtatus fuerit incomperto eſſe; ſeque certiſſimum ſuas ſponſas, nec moviſſe ex Parentibus turbas, nec unquam per minimum nutum appetiiſſe copulam, quam & fortè ignorabant; quia tenellę puellę, vel & horrebant, quia omnem ignorabant malitiam; & fortaſſe ſi Pyrauſta copulam petiiſſet, & ſcandalizaſſet; Puellæ enim virtute præſtantes, & præcipuè tenellæ, pudorem ſuum ſervare magis contendunt, quàm amittere. Non enim ubique tanta immodeſtia, immo & honeſtatis jactura præveniuntur, aut celebrantur nuptiæ, ut in quibuſdam locis ( utinam non inter Chriſtianos ) contra quos improbos modos exaggerant Sancti Patres: Nuptiæ namque Pyrauſtæ cum ſuis ſponſis fuerunt ad inſtar nuptiarum Joſeph, & Deiparæ, quos imitari ſibi propoſuerat Pyrauſta, ſcilicet pronubo Patre cœleſti Paranymphis Angelis, & conjugatis Virginibus: neque Confeſſarius partialis Parentum ſponſarum, injicere poterat ſcrupulum menti Pyrauſtæ, qui & noverat ab illis Confeſſarium inductum, quia Matrimonia non conſummaret; certè enim ex reſponſis Pyrauſtæ deprehenditur ipſum apprimè in re ſua inſtructum fuiſſe, & fortaſſe per alios Doctores Theologos; quia in reſponſis ejus invenitur doctrina ſublimis, quam ſupra dedimus de multiplici ſcopo Matrimonii; & quod de ipſius eſentia, ut ratum, non erat copula; ipſe namque ajebat, ſe cum ſponſis ſuis junctis amore cordibus, caſtiſſimo tamen in ſocietate pacifica, & tranquilla, junctiſque animis vivere; eas optimè tractare, & in cunctis pręſtò eſſe, ut ipſæmet faterentur, quarum ſciret ipſe intentionem, procul ab hujuſmodi appetitibus, eaſque interrogandas eſſe priuſquam ſuę quieti molirentur perturbationes. Confeſſarius autem à prima vice non amplius Pyrauſtæ de hoc verbum fecit. Quinimmò Pyrauſta ſuam ſponſam ingenuè certiorem fecit, nec tamen illa de hoc

ejus

Digitized by Google

ejus oneravit conſcientiam, quod conſtituit, eò quia Pyrauſta vir timoratiſſimæ conſcientiæ, immobilis in ſancto propoſito virginitatis cum ſponſa perſeveravit. Si verò ſponſæ operâ hæ contentiones ortæ fuiſſent, ſponſa non reticuiſſet, Pyrauſta ſponſo ſibi narrante à Confeſſario audita. Inde eſt, quod Pyrauſta ſponſarum ſuarum puritatem, & ſynceram animi, & morum præſtantiam laudibus ſolebat efferre. At quis unquam præſumeret virum tantæ virtutis, talis conſcientię, & inſignis Sanctimoniæ, voluiſſe illudere, atque decipere ſponſas, & ſuam animam perdere? Numquid factum hoc habuit aliquid inhoneſti, aut vitioſi? Agitur de virtutibus ſummis hic, & de rebus prorſus divinis, divinitus inſpiratis, devotè, atque ſyncerè peractis; & optimo fine clauſis, Pyrauſta erat virtutis vir; ſponſæ virtutis fœminæ, per virum magis magiſque virtuti captivandæ, & ſi, ut inquit Apoſtolus *, per virum fidelem ſalvatur in Matrimonio mulier infidelis; quanto magis per fideliſſimum virum, fidelis, & virtuoſa ſponſa ad virtutem magis trahi poterit **, ut traxiſſe putandum eſt ſuam ſponſam Pyrauſtam? Ecquidem ſi verum eſt, quod per David dicitur: Et cum viro innocente innocens eris, auſim etiam deducere: Cum viro virgine, virgo ſponſa erit; quia ſemper verum erit, quod virtus, & ſi aſſecutione difficilis, quia virtutem poſuere dii ſudore parandam; veruntamen conformior eſt creaturis rationalibus, & allicit, atque attrahit eorum animos, etiam quamquam natura humana peccato originali vitiata ſit, ſemper eſt in virtutem propenſior; eò magis animæ, quæ gratia Dei ſunt per Sanguinis Chriſti lavacrum regeneratæ, & eò vel maximè Animæ illæ, quæ ſunt in virtutibus Chriſtianis educatæ, ut fuerunt ſponſæ Pyrauſtæ, quę virtutibus aſſuetæ, & in virtutibus enutritæ ætate tenera, & conſuetudine viri in virtutibus conſummati, ejus exemplo, & ſancta perſuaſione, ſecum in ſancta virginitate vivere facilè inductæ fuerint, Dei adſpirante auxilio.

26 His non obſtantibus, injuſtitiæ incuſare tentarunt Pyrauſtam, eò quod conjugium, ſeu Matrimonium cum ſponſis non conſummaverit; ſed injuſtè quidem hæc injuſtitiæ nota ei inuritur: quia Pyrauſta vir juſtus erat, prout juſtitia intelligitur quidam cumulus omnium virtutum, ut patet in tota ſerie ejus diuturnioris vitæ. Et juſtus etiam juſtitiâ, quæ eſt virtus ad alterum, reddens alteri, quod ſuum eſt; quia Pyrauſta non tam cuique, quod ſuum erat tribuit; ſed & ſua quibus non debuerat, generoſa, & magnanima liberalitate diſtribuit, ut in ejus geſtis inſignibus narratur; ut non Agricolæ, ſed regium animum, manum, & indolem, ſe poſſidere oſtenderit; etiam inter inſigniores orbis benefactores computandus: quia mundo ipſi ſua induſtria, & inge-

* 1.Cor. cap.7. ** Pſal. 17.

genio profuit. Nunc autem verum quidem eſt quod conjugalis copula, debitum nuncupatur, & debitum reddere ex juſtitia commutativa unuſquiſque tenetur: attamen quia Matrimonium, ejuſque copula cum ex indulgentia Dei creatoris ſit; virginitas autem ſit ex conſilio Redemptoris Dei, & etiam in conjugiis Pyrauſta hocce conſilium præ copula elegerit ſervandum, ſi poſſibile afforet; quamvis contraxerit debitum copulæ, animo ſervandæ virginitatis, ſi foret poſſibile, Deo adjuvante invenit, ipſe modum, quo ſibi foret poſſibile. Debitum namque copulæ conjugalis non eſt debitum redditionis alicujus accepti, præcipuè ſi Matrimonium ſit tantùm ratum; ſed debitum alicujus rei ex mutua obligatione, & conventione reddendæ, quando, & quoties petatur, & opus ſit; ſi verò non petitur, obligatio remanet habitualis tantùm, non actualis, quæ actualis fit, cùm actualis intervenit petitio.

27 Neque adeò rigoroſum eſt illud debitum, ut etiam ſi petatur reddendum ſit ſtatim poſt Matrimonium ratum; conceditur etiam ab Eccleſia ſpatium duorum menſium cuique ſponſo ad ſuſpendendam redditionem etiam petitam; ut interea ſi Spiritus Sanctus eis inſpiraverit Religionem amplecti, ut multi fecerunt, vel aliud inſigne bonum opus perficere, ut fecit S. Alexius, tempus eis adſit. Ita ex cap. ex publico, De. converſ. conjug. ibi: mandamus, &c. Horum autem duorum menſium ſpatium initium habet ab eo tempore, quo exempli gratia aliquis ex ſponſis querelas moveret contra alterum, qui ſibi non redderet debitum petitum; ut aſſerunt Canoniſtæ in dicto cap. ex publico. Et ſignanter Gloſſa, verb. Infra duorum. Et ibidem Gloſſa marginalis. Et ibid. But. num. 12. Hoſtienſ. num. 4. Zabarel. num. 15. Fagnan. num. 36. Confutans Baſilium Pontium, cum pluribus Theologis.

28 Proinde, quis ſcire poteſt: an Pyrauſta prima nuptiarum nocte loco conſummandi Matrimonium convenerit ſponſas, ſancta, & efficaci exhortatione, ſicut fecit Tobias Junior ſuam ſponſam Saram, quam his compellavit verbis Tob. cap. 8. *Sara*, inquit, *ſurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras, quia his tribus noctibus Deo jungimur; tertia autem tranſacta nocte in noſtro conjugio erimus. Filii quippe Sanctorum ſumus, & non poſſumus ita conjungi ſicut Gentes, quæ ignorant Deum.* Et Tobias hoc conſilium habuit ab Angelo Raphaele ipſo comite ſuo, qui interea alligavit maledictum dæmonem Aſmodæum, qui necaverat ſeptem alios ſponſos Saræ, qui ut perhibet Scriptura, ſicut equi, & muli in ſponſam libidinosè irruerant. Ita & Pyrauſta potuit exhortari, & exoraſſe ſuas ſponſas, ut non ad triduum differrent copulam, ſed ad mortem uſque amore Chriſti, & virginitatis, propoſito exemplo Deiparæ cum Joſeph, in

quo

quo ita ſibi complacuerit Dominus, ut gratiam ſuam præbuerit, & Angeli virginum ſocii, & Pyrauſtæ domeſtici, dæmones ſtatim alligaverint, qui ſolent ſacras nuptias inficere libidinibus, & ita conſenſerint ſponſæ.

29 Quali autem Pyrauſta polleret energiâ in ſuadenda caſtimonia; & virginitate, apparuit, quando raptam pulcherrimam virginem ſuæ fidei commendatam, à qua terribiliter ad turpia ſolicitabatur uſque ad ſe coram ipſo, & in oculis ejus nudam conſtituendam, tamen conſtantiſſimus vir eam ad meliorem frugem perduxit, & à vitæ diſcrimine ſubtrahens, inter Deo ſacras virgines, ſponſam Chriſti effici induxit: quantò magis ergo ſuis ſponſis pudiciſſimis hoc inſinuare prævaluit, ut ſecum virgines viverent. Aliàs etiam jam religioſæ malitiæ adſcriptus, advertens quemdam Procum Juvenem, mulierculæ verbis parum honeſtis lenocinantem, hortatus utdeſiſteret, & modeſtæ caſtitati ſtuderet, ſpretus ab ipſo, obſtinatiore facto; Procus à diabolo arreptus ſuffocabatur, ni Pyrauſta accurrens, & Procum, & diabolum increpans, & à vitio, & à diabolo liberaſſet, ita Deo zelum caſtitatis munerante.

30 Et ſi me conveniant oppoſitores dicentes. Unde hoc ego noverim factum à Pyrauſta? Ego quoque reponam: Unde ipſi noverint, aut potuerint aſſerere oppoſitum? Vel unde noverimus nos factum illud Tobiæ, dilationis copulæ, ac orationis, dæmoniſque alligationis? Nunquid à Parentibus Saræ, aut aliis hujuſmodi? Minimè gentium. Hoc à Spiritu Sancto ſacris inſertum fuit ſcripturis, in exemplum. Et hoc nunc poteſt ſuæ Eccleſiæ ſuadere cœlitùs, in facto Pyrauſtæ. Quia hujuſmodi facta ſolum Deum habent teſtem, nec vulgantur hominibus, niſi poſt mortem Heroum, qui talia patrarunt: ne in laqueum verteretur eorum virtus, ſi in vita pateſceret, vel in quietis detrimentum, ut ex ſola ſuſpicione evenit per Parentes ſponſarum Pyrauſtæ; ſed putaverim ego, quod fortè nec opus fuerint hortationes Pyrauſtæ ad ſuas ſponſas, quæ ut tenellæ erant, & compotes virtutis, malitięque exortes, potiùs integritatem, quam profitebantur in anima, amaverint ſervare etam in corporibus, inſciæ omnino venerearum illecebrarum; quæ ex ſemetipſis ſimplicibus cordibus Puellarum, honeſtate, & verecundia ornatarum non ſunt gratæ, immò potiùs tales Puellæ refugere, & horrere ſolent, ut dictum eſt ſupra præcipuè in ſuæ morituræ virginitatis initiis, ſi in maritos inciderint, in quibus non inveniant Pyrauſtas hujuſmodi virtutis viros.

31 Sed juxta effatum divinum. * Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc, & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. Si Pyrauſta contra juſtitiam

ſſſſ pec-

* *Apocal. cap. 23.*

peccaſſe culpatur, copulam non exercendo cũ ſponſis; videndum quare, & contra quam juſtitiam peccaverit, ita ut injuſtitiam ſponſis feciſſe conſtet. Doctrinam tritiſſimam juſtitiæ habemus, quod totidem modis dicitur injuſtitia, quot juſtitia. Juſtitia autem hìc ſumenda, & conſideranda: vel eſt legalis, vel diſtributiva, vel commutativa, quibus prout injuſtitia adverſatur, etiam dividi poteſt totuplex. Contra quam ergo juſtitiam peccavit Pyrauſta? Non quidem contra legalem, nam in bonum commune ſua copula cum ſponſis neceſſaria non erat, quia mundus repletus eſt populis, nec indigent creſcere, aut multiplicari; alioquin jam nulli liceret Deo in caſtitate virginali inſervire. Qua ſtulta ſuppoſita neceſſitate imprudentes filiæ Loth cum inebriato Patre inceſtuosè concubuerunt*, putantes in mundo poſt incendium Pentapoleos, jam defeciſſe homines. Non contra juſtitiam diſtributivam, quæ reſpicit diviſionem bonorum communitatis per idoneam perſonam faciendam proportionaliter, quod nullo modo ad rem noſtram ſpectat, ut intuenti, & intelligenti patet. Non contra commutativam, quæ dat tantum pro tanto dati, & accepti, ita apud omnes peritos de juſtitiis diſſeritur. At Pyrauſta nihil à ſponſis acceperat quantum ad copulam, ut debitum reddendi, aut reſtituendi haberet, neque quidquam à ſponſis ab eo petebatur, verbo, vel nutu, ut debitor conſtitueretur. In Matrimonio enim tunc unus alteri debitor proximè, & immediatè conſtituitur cum obligatione reddendi, quando ab eo petitur, quod ut petitum dare debet, vel jam accepit, ut æquale reddat; alioquin debitum manet remotum, & in poteſtate ejus qui non reddit, quia non petitur, aut non recepit; aut quia habet legale interſtitium ad reddendum: Cùm autem per petitionem conſtituitur quis debitor petiti, ſi non reddit, reus etiam debiti conſtituitur, & à judice compellendus. Quæ igitur injuſtitia Pyrauſtæ, quod non dederit id, quod ab eo, nec verbo, nec nutu fuit à ſponſis expetitum, juxta contractus matrimonialis naturam, nec ipſe reſtituere debuerat, quia nondum Matrimonium conſummando, receperat? Quid autem ad ſoceros ejus pertinebat, de hoc ut ipſum compellerent ad reddendum, quod nec acceperat, nec ab eo expetitum fuerat, immo fortaſsè ex condicto cum ſponſis, nec reddendum erat? Faceſſant ergo ſoceri Pyrauſtæ, quibus ſi aliquid juris competere ex ultronea liberalitate conceſſerimus, hoc erit tantùm in eo, quòd filias potuerint tradere in ſponſas Pyrauſtæ; cæterum de copula Matrimonii cura omnis pertinet ad eoſdem ſponſos, non ad ſoceros, qui ſi inter ſeſe ſuæ mentis, & corporum velint integritatem ſervare, non ad ſoceros ſpectat eis legem aliam ponere, nec ex eorum clamoribus ullus in ſuſpicionem venire debet, quod Pyrauſta

* *Geneſ. cap. 19.*

rauſta vir illibatę, & integerrimæ conſcientiæ, neſciat, aut nolit, quod ſuum eſt juſtè exequi.

32 Videntur quidam teneri cordis, velut ſponſis compatientes, quòd per copulam non agnoſcerentur à ſponſo Pyrauſta, ipſum habere pro homine parum in uxores clemente, ac benigno, quaſi quòd luxuria in Matrimoniis ſit operatio excellentior virtutibus ipſis excellentiſſimis; ſed Proh! quantum hallucinantur! immo reprehenſibiles fiunt! Corrumpere namque virgines in actu Matrimonii ad bonum tantùm prolis, aut ad remedium propriæ fragilitatis ex indulgentia bonum aliquod eſt; clamante magno Apoſtolo Paulo: *Ego autem vobis parco**: Verùm, quid ſubdat perpendendum eſt magis: *Hoc itaque*, ait, *dico fratres, tempus breve eſt, reliquum eſt, ut qui habent uxores tamquam non habentes ſint*. Quæ verba utinam, ut Pyrauſta probè intellexit, & ſumma prudentia obſervavit; ita intelligerent, ac obſervarent, & reliqui. Pyrauſta licèt poterat ſuis uxoribus jungi per copulam; at ſatiùs duxit, ſicut eas dotaverat, atque egregiè nutrierat, & ſanctè dilexerat; etiam quod maximum eſt, ſibi obſequium præſtare, nimirum eis conſervando inæſtimabile, ac pretioſiſſimum Theſaurum virginitatis, quod & fecit; neque ſponſis diſplicuit, immò credendum eſt, eis placuiſſe, quia nunquam diſplicuiſſe apparuit, ſed potiùs placuiſſe, & proindè præſumendum eſt conſenſiſſe. Hæc autem, quæ dicimus, authoritate, aut teſtibus non indigent, quia ſunt reipſa ex terminis nota, practica, & omnibus ſcientibus, aut etiam neſcientibus nota.

33 Unum tantùm pro coronide addam, nec poſſe inſimulari Pyrauſtam de nimia fidentia circa familiaritatem mulierum, quæ ſæpius in diſcrimen viros etiam heroicos adduxit, quia nunquam invenietur, hoc Pyrauſtam imprudenter peregiſſe. Fidentiùs quidem egit, ſed fiducia in Deum, non in ſe. Hoc evidenter patuit, cùm videns ſe obnoxium fœminarum inſidiis in Hiſpania ſuæ nativitatis tellure, nec ſufficere ab occaſionibus ſe ſubtrahere, ut prudenter curabat, tandem ut ſolveret inſidiarum laqueos ſibi à diabolo paſſim paratos, ſolvit in Mexicum; ubi ſi uxores duxit, & cum ipſis familiariſſimè, & blandè verſatus eſt, fecit, ne ipſis videretur infenſus, aut minus caſto, & debito amore conjunctus, à Deo confortatus, & gratiâ ſuâ roboratus. Quando enim niſi in caſibus iſtis implentur verba Spiritus Sancti per os Iſaiæ, probantis juſtitiam cincturam lumbos Meſſiæ, & fidem cinctorium futuram renum ejus, niſi quando hæc monſtra virtutis apparent in ſervis ſuis virtute gratiæ ejus? Notent verba ſacrorum Myſteriorum periti, & ſignent Myſteria, & videant ſi mentiamur de Pyrauſta. *Et erit*, inquit Iſaias**, *juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*.

§§§§ 2 Habi-

* *1. Cor. cap. 7.* ** *Iſai. cap. 11.*

*Habitabit Lupus cum Agno, & Pardus cum Hœdo accubabit: Vitulus, & Leo, & ovis ſimul morabuntur, & Puer parvulus minabit eos. Vitulus, & Urſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum; & Leo, quaſi Bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere ſuper foramine aſpidis; & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in univerſo monte ſancto meo; quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes.* Cùm ergo juſtitia cingit lumbos, & fides præcingit renes, nec renes, nec lumbi exuberant in luxurias, Deo, & Chriſto præſervante. Si gratia Meſſiæ adjuvante, habitat Lupus voraciſſimus cum Agno, & accumbit Pardus crudeliſſimus cum Hœdo: cur magis, & habitare, & accumbere tuti, & caſtè non poterant Agnus cum Agna; & Hœdus cum Hœda? Si puer parvulus feras has immaniſſimas minare valet; cur Pyrauſta, puer ſimplicitate, & parvulus innocentia minare non poterit, & ducere per liliata paſcua virginitatis, duas tenellas juvenculas, ſponſas ſuas abſque earum, ſuęque virginitatis damno: etiam ſi in eorum cubiculo habitet? Si Vitulus, & Urſus ſimul paſcentur, & ſimul requieſcent eorum catuli; cur, non Vitulus cum Vitula commenſales non fuerint ambo inſcii malitiæ, quia Vituli, & Victimæ Deo ſacræ? Sed quid Catuli Vituli, & Urſi, qui cùm ſint ejuſdem ſexus catulos filios habere nequeunt; niſi intelligantur cogitationes, & affectus ſponſi, & ſponſæ in pace caſtitatis concordes? Et ſi Leo, quaſi Bos comedet paleas, utique Pyrauſta viribus, & virtute Leo, Bovumque domitor comedet quidem paleas frugiferæ virtutis; non fœnum, cui comparat Iſaias carnes humanitatis, cùm dicit alibi. * *Omnis caro fœnum*. Et ſi delectatur infans in foramine aſpidis, & qui ablactatus fuerit, in caverna reguli manum ſuam mittet, abſque nocumento, & periculo vitæ: utique Pyrauſtæ infans malitiæ expers, & ablactatus ab ubere divini pectoris, ſeu amoris, ludet tutus in foramine aſpidis, & in caverna reguli, quæ utique innuunt foramen luxuriæ, & cavernam libidinis, delectabitur innocenti ſimplicitate, & mittet manum cuſtodiendo ſponſas præter ullum detrimentum virginitatis, quia repleta eſt terra humanitatis ejus ſcientia Domini, quæ charitas Dei eſt, ſeu Spiritus charitatis, & ſcientiæ ipſius; ſicut aquæ maris operientes, quæ non quidem valent extinguere charitatem, ſed valent extinguere fomitem pravum, & ignitum libidinis, & ut aquæ maris ſalitæ ſunt, & ſicut ab incorruptione præſervat ſal, ita à ſale divinæ gratiæ, & ſapientiæ, incorruptio impertitur fragilitatibus noſtris, ad perſeverandum in caſtitate, virginitate, omnique pręclara virtute, quam Deus velit quibus vult impertiri. Et ut uno verbo dicta concludamus; Pyrauſta,

* *Iſai. cap.* 40.

rauſta, animal eſt, quod de igne vivit, degitque in igne tanquam in proprio centro, incombuſtus; ita & Pyrauſta noſter, ut Elias igne enutritus divini amoris in igne incombuſtus vivere potuit, in quo alii in cineres rediguntur, &c.

---

# RESPONSIO

## *DD.* SORBONÆ, *ſivè proprius Sacræ Facultatis PARISIENSIS.*

✠

1 INfraſcripti Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Theologi, de quodam Viro eximiæ virtutis nomine Pyrauſta, qui prope Sexagenarius duas ſucceſſivè duxit Uxores, cum propoſito, & ſignificatione, ſeu proteſtatione propoſiti ſui ſervandæ in conjugio virginitatis: Interrogati: utrùm Pyrauſta in ducendis duabus illis Uxoribus Puellis, malè ſe geſſiſſe cenſendus ſit, an potiùs heroicę virtutis actus perfeciſſe: Lecto de moribus, & factis ejuſdem Viri Libello, huic RESPONSIONI annexo, & expenſis duabus propoſitis quæſtionibus, reſponderunt, & reſpondent, Pyrauſtam neque peccaſſe contra naturam, aut leges Matrimonii, neque cenſendum eſſe imprudenter, aut temerariè ſe geſſiſſe, ſed potius heroicæ virtutis actus perfeciſſe.

2 Quoad primam reſponſionis partem, ſupponunt iidem Theologi nullum in Pyrauſta: neque in duabus ejus Uxoribus ſucceſſivè ductis præceſſiſſe votum virginitatis, aut perpetuæ continentiæ, neque pactum relaxandi jura Matrimonii; ſed ſimplicis propoſiti nunquam utendi juribus Matrimonii, circa Liberorum procreationem, meram hinc, & inde ſignificationem, ſeu etiam proteſtationem propoſiti. His ſuppoſitis probatur prima pars reſponſionis. 1. ex Apoſt. ad Cor. 1. cap. 7. *Bonum eſt homini*, (etiam conjugato) *mulierem non tangere*. Ex his verbis S. Auguſtinus, lib. de Moribus Eccleſię Catholicę, cap. 35. concludit contra Manichæos, qui fidelibus baptizatis uſum Matrimonii interdicebant Apoſtolum *demonſtraſſe fortibus, quid ſummum ſit, & imbecillioribus permiſiſſe quod proximum eſt*. Porrò licet proponere quod ſummum eſt in conjugio. Idem S. Auguſtinus de Bon. Conjug. contra Jovinian. cap. 3. Bonum : : : *mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem: alioquin non jam diceretur conjugium in ſenibus*. Ergo licet illud ſolum bonum, ſolam illam naturalem ſocietatem

tem

tem ſpectare, ſeu intendere conjugium ineuntibus. Idem lib.1.cap.24. de adulterinis conjugiis ad Pollentium licere conjugibus, ait vovere continentiam perpetuam *ex conſenſu viventibus, & carnalia debita ſibi invicem relaxantibus, fidelibus caſtiſque conjugibus: quod alterum ſinè altera, vel alteram ſinè altero vovere fas non eſt.* Porrò ſimplex virginitatis perpetuę propoſitum præcedens, quod nullam inducit obligationem, aut jurium relaxationem, multominus adverſatur Matrimonii eſſentiæ, & mutuæ poteſtati alterius in alterum, quàm votum ſequens cum relaxatione jurium, & tamen conſiſtit conjugium cum illo voto ſubſecuto, quidni copularetur cum illo ſimplici propoſito præcedente? Idem lib.1. de Nuptiis, & concupiſcentia, cap. 11. *Quibus placuit ex conſenſu, ab uſu carnalis concupiſcentiæ in perpetuum continere, abſit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; immò firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ chariùs concordiuſque ſervanda ſunt, non voluptariis corporis nexibus, ſed voluntariis affectibus animorum.* Idque probat exemplo conjugii Beatiſſimæ Virginis Mariæ cum S. Joſepho. Denique lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum, cap. 1. *Hoc exemplo* ( conjugii Mariæ cum Joſeph ) *magnificè inſinuatur fidelibus conjugatis etiam ſervata pari conſenſu continentia, poſſe permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.*

3 S.Thomas in 4. ſent. diſt. 30. quęſt.2. art.1. reſp. ad 2. & 3. hæc habet: *Ad primum dicendum, quòd Beata Virgo antequam contraheret cum Joſeph, fuit certificata divinitus, quòd Joſeph in ſimili propoſito erat, & ideo non ſe commiſit periculo nubens, nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit, quia illud propoſitum non fuit conditionaliter inconſenſu appoſitum, talis enim conditio cùm ſit contra Matrimonii bonum, ſcilicet prolem procreandam, Matrimonium tolleret::: Copula carnalis cecidit implicitè ſub conſenſu B.Virginis, ſicut actus continetur implicitè in potentia:::: Potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipſius, niſi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in propoſito B.Virginis, ſed erat jam certificata, quòd actus nunquam fieri deberet.*

4 Sanctus Doctor his verbis illud ſignificat de quo conſentiunt Theologi ſubſtantiam Matrimonii poſitam eſſe in mutuo dominio ab uſu ſeparabili; propoſitum vero verſari circa uſum, quem quiſque poteſt ſibi adimere illæſo dominio. 2. Poſſe etiam poſt emiſſum virginitatis votum validè, & prudenter contrahi Matrimonium ab iis, qui divinitus certi eſſent de voto adimplendo; ergo à fortiori poſt ſignificationem ſimplicis propoſiti probabiliter adimplendi.

5 Idem conſtat ex conſenſu Univerſalis Eccleſiæ, quo licèt conjugibus contractum Matrimonium, per ſolemnem Religionis Profeſſionem,

nem, nondum conſummatum diſſolvere, & cum illo jure, immo, & propoſito taliter diſſolvendi, nubere; ex cap. Commiſſum de Sponſalibus.

6 De ſecunda verò reſponſionis parte; utrum ſcilicet Pyrauſta prudenter ſe geſſerit? Non ita liquet, nam ex libello huic RESPONSIONI annexo, dubium eſt utrum Pyrauſta in eodem thalamo cum Sponſa, an extra thalamum juxta illam in terra cubaret? Si primum verum eſt, non eſt continuo improbandum, aut temeritatis arguendum, cùm Scriptura non improbet, quod refertur lib. 3. Reg. cap. 1. de facto David cum Abiſag Sunamitide. Simile factum refert Surius ex antiquo authore ad diem 27. Septemb. de Sancto Elzeario Comite Ariano cum ſua ſponſa Delphina. Potuiſſe Pyrauſta iis moveri rationibus, & talibus cautionibus uti, quæ periculum mutandi propoſiti à ſe, & ab Uxoribus ammoverent, non tamen juxta communes prudentiæ regulas poteſt factum illud approbari, aut quaſi imitandum proponi, ſed cum reſpectu Pyrauſtæ, & Sponſarum ejus, neque illicitum, neque ad illicita inducens factum illud fuerit; & conſilium, Deo juvante, probaverit eventus, ſeu ſecuta Pyrauſtæ, & Sponſarum integerrima caſtitas, & ſanctimonia, cenſendus non eſt imprudentèr ſe geſſiſſe, ſed ſpectatis circumſtantiis, varias multiformis gratię Dei operationes, heroicaſque, quæ inde eluceſcunt virtutes pro loco, & tempore opportuno exercuiſſe; *nam ex fructibus eorum cognoſcetis eos*; ex certis incerta eruenda ſunt.

7 Laudarunt Sancti Patres prudentiam Pulcheriæ, pro Republica melius adminiſtranda Martiano nubentis. Inter Sanctos relati ſunt, Sanctus Enricus Imperator, & Sancta Conegundes Sponſa ejuſdem: Et Sanctus Eduardus Anglorum Rex, ut eximia caſtitate in ſimili facto inſignes. Pyrauſta, ſibi exemplo Sancti Joſephi propoſito, nihil minus feciſſe videtur ab iis, qui tam magnificè laudati ſunt, Regibus, & Imperatoribus. Rei familiari prudentiùs, & ſecuriùs providet, cùm ſi extraneæ mulieri curam illius commiſiſſet, non caſtitatis tantùm in ſua, Sponſarumque ſuarum pudicitia cuſtodienda, ſed charitatis erga proximum, humilitatis, contemptus mundi, & divitiarum, zeli ſalutis animarum ſpecimina clariſſima, certiſſimaque præbuit, Sponſas à penuria, ſe ipſum à curis ſæcularibus ſublevando, pauperes puellas præ divitibus eligendo, æmulando eas Dei æmulatione: dum enim ſibi eas deſponſare viſus eſt, deſpondit eas uni viro virgines caſtas exhibere Chriſto. Ita ſentimus, & in ſententia noſtra teſtimonium, & fidem ſubſcripſimus Lutetiæ Pariſiorum ann. 1720. die 10. Auguſti.

*Medericus Carton*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Decanus, & Societatis Sorboniæ Senior.

*Claudius Clavel*, Inſignis Eccleſiæ Andegavenſis nuper Canonic. Theologalis, nunc verò Doctoris Sorbonici muneribus incumbens.

*Hono-*

Digitized by Google

*Honoratus Taunelis*, Emeritus Sac. Theologiæ in Sorbona Profeſſor Regius: Sacroſanctæ Regiæ Capellæ Palatii Pariſienſis Canonicus.

*Joannes Natalis Gaillande*, Sac. Theolog. Pariſ. Doct. Theolog., Socius Sorbonicus, Sancti Salvatoris de Lominè Prior Commes Idalavius.

*Jacobus Pille*, Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus.

*Petrus Ludron*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, necnon Eccleſiæ Parochialis S. Nicolai è Cardineto in Urbe Rector.

*L. De Ramigius*, Doctor Theologus Socius Sorbonicus, & inſignis Eccleſiæ Carvalenſis Canonicus.

---

*Epiſtola Eminentiſs. D. Cardinalis* DE GESURES.

*Foris*. Reverendo Adm. P. Joanni Fernandez. Romæ.

*Intus*. Sanct. Rom. Eccl. Card. Archiepiſc. Bituriensis. Rev. P. Joanni Fernandez, Legato Sanctiſſimi Domini.

QUam ego ad te, Rev. P. de quæſtionibus mihi à te propoſitis deciſionem miſi, eam præſenti negotio componendo, idoneam, ac parem tibi videri plurimùm lætor. Nec mihi dubium eſt, quin apud omnes ea graviſſimum pondus ſit habitura, quippè quę celeberrimorum Doctorum Pariſienſium, & Magiſtrorum ſententia, judicio, authoritate, & chirographo nitatur. Horum porrò quos hac in re in conſilium adhibui non nomina tantùm, ſed doctrinam, fidem, integritatem mihi jam indè multis ab annis innotuiſſe, ſcias velim. Idque omnibus iis ad quos res illa pertinere poterit teſtatum eſſe cupio. Noſtram operam, quam tibi in cæteris polliceor, hac in re tibi uſui, & adjumento fuiſſe gaudeo vehementer. Deumque Opt. Max. rogo ut ea tibi ex ſententia ſuccedat. Vale. V. Kal. Nouemb. 1720.

*Leo Cardin. de Geſures*.

RECOGNITIO MANUS IN FORMA.

FIdem facio Ego Cauſ. Cur. Cap. Notarius Pub. Infraſcrip. qualiter die 23. Septemb. 1722. In mei &c. Rev. D. Antonius de Juſtis fil. q. Dominici Spoletanus, & Rev. P. Fr. Anſelmus Ruelle Ord. Min. Obſervantiæ Recollector. S. Franc. degen. in Ven. Conventu de Aracœli Urbis, mihi &c. cogniti, ſpontè, omnique &c. recognoverunt, & quilibet ipſorum recognovit, & recognoſcit manum, litteras, characterem, & ſubſcriptionem in forma retroſcripti Emi, & Rmi D. Leonis Card. de Geſures appoſitæ in retroſcripta atteſtatione, eò quia pluries eumdem Card. de Geſures ſcribentem vidiſſe, ipſiſq; notum fuiſſe affirmarunt, ſicque tactis pectoribus more &c., & ſcripturis reſpectivè Jurarunt &c. ſuper quibus &c. in quor. &c. Rom. die, & anno ſupradictis.

*Ita eſt pro D. Lucio Ant. Nerio C.C.C. Not.*

*Joſeph Honuphrius Zappettonus de mandato &c.*

Locus ✠ Signi.

RES-

Digitized by Google

# RESPONSIO SALMANTINÆ UNIVERSITATIS.

*Atteſtatio Secretarii Regii Secretariæ Concilii Indiar. ubi adducitur reſponſiva Epiſtola prælaudatæ Univerſitatis ad dictum Concilium tranſmiſſa, unà cum Reſponſione, Latino idiomate conſtructa, & aliis Inſtrumentis vernacula lingua deſuper confectis.*

D. Franciſcus de Amatriain Majeſtatis Suæ Secretarius, & Secretariæ Concilii Indiarum Officialis major &c. Fidem facio quòd ſuper Conſulto relati Concilii ſub die 27. Jan. Anni proximè elapſi 1720. Majeſtati Suæ placuit Univerſitati Salmanticenſi committere, ut Cenſuram ſuam diceret. An Venerabilis Fr. Sebaſtianus de Aparitio benè, vel malè operatus fuerit in contrahendo duabus vicibus Sacramento Matrimonii, cum animo ſemper vivendi in caſto, & virginali connubio? Quæ ejus mandati adimplementum exequuta eſt forma ſequenti.

Domine. Ut obediret Univerſitas commiſſioni V. A. & Mandato Majeſtatis Suæ ſuper eo, quod votum ſuum aperiret in facto Ven. Fr. Sebaſtiani de Appariti ò, qui duabus vicibus Sanctum Matrimonii Sacramentum contraxit, animo ſe Virginem ſervandi in ambobus Matrimoniis, nominavit in pleno Clauſtro octo Cõmiſſarios duarum Sac. Facultatum Theologiæ, & Canonum, qui debita cum maturitate examinato puncto, ad Clauſtrum ſupradictum reſolutionem detulerunt, quæ fuit: „ Quòd bene fecerit dictus Ven. atque licitè, & validè primas, & „ ſecundas Nuptias celebraverit, non obſtante propoſito ſe in ipſis „ conſervandi in Virginali puritate „. Quæ Univerſitas participat V. A. quam Deus incolumem ſervet, prout Orbi Chriſtiano, & nobis opus eſt: Ex noſtro Clauſtro Univerſitat. Salmanticenſ. die 21. Aug. 1720.

Dñe: *Mag. Fr. Michael Perez V. Rector:*

Mag. *Emanuel Ginerelo Commiſſarius.*

Doct. *D. Franciſcus de Dueñas y Peralta Commiſſarius:*

Ex auctoritate Univerſitatis Salmanticenſ.

*Didacus Garzia de Paredes Vice Secretar.*

Atque ut conſtet ubi opus fuerit, ex auctoritate relati Concilii die 30. Januarii Anni hujus, præſentem feci Madriti die quarta Martii 1721.

*Don Franciſcus de Amatriain.*

## *Tenor relatæ Reſponſionis Latinæ.*

REgi Noſtro Catholico obtemperantes, in quæſtione ad hanc Univerſitatem Salmantinam delata, ſuper facto V. P. Fr. Sebaſtiani Aparicio, Ordinis Minorum S. Franciſci, qui dum liber, primas, & ſecundas nuptias contraxit animo ſe conſervandi [ſi poſſibile foret] in caſto, & virginali connubio, ad inſtar Sancti Patriarchæ Joſeph cum Sanctiſſima Sponſa Virgine Deipara: An, ſcilicet, bene ſe geſſerit, licitèque, validè præfatas nuptias contraxerit?

Deputatis prius, ad rem accuratè inveſtigandam, octo Doctoribus in Sacra facultate Theologica, & jure Pontificio, ipſorumque ſuffragiis verbo, & ſcripto auditis, maturêque diſcuſſis, & perpenſis: Univerſitas in Clauſtro pleno affirmativè reſpondit. Salmanticæ XV. Kalendas Auguſti, Anni Domini M.DCC.XX.

Magiſt. *Fr. Michael Perez*, Vice Rector.

Magiſt. *Fr. Petrus Manſo*, Auguſtinianus, Cathedræ Sancti Thomæ Profeſſor.

Doct. *D. Joſephus à Vallarna*, Pontificii Juris Profeſſor.

Magiſt. *Fr. Michael de Herce*, Cathedræ Sacræ Theologiæ Veſpertinæ Profeſſor.

*D. Franciſcus de Dueñas, & Peralta*, Ordinis Militaris Calatravenſis. Decretorum Doctor Sacrorum Canonum Primarius Anteceſſor.

Magiſt. *Emmanuel à Generelo, & Spinola*, Clericor. Regular. Minor., Sacræ Scripturæ Primarius Propietarius Profeſſor.

Doct. *D. Bernardus Sanctos Calderon à Barca*, Veſpertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ Profeſſor.

Doct. *D. Julianus Dominquez & Toledo*, Cathedræ Theologiæ Profeſſor.

Doct. *D. Thomas Nuñez Flores*, Primariæ Cathedræ Sacror. Canonum Profeſſor.

De mandato Univerſitatis,

*Didacus Garcia à Paredes Secret.*

*Suffragia Doctorum, quibus à dicta Univerſitate commiſſa fuit Conſulti Reſponſio, & in quibus inveniuntur rationes, propter quas mota fuit illa ad hujuſmodi Reſponſionis expeditionem; Et quoniam proprio idiomate Hiſpanico Vota ſua condidere, opuſque fuerit ea in Latinum, ad hujus Opuſculi uniformitatem transferre, nemini profectò mirandum, quod in eorum verſione Latinæ linguæ candor haud ſplendeat; cùm minus inconveniens interpreti viſum fuerit in hujuſmodi candore deficere, quàm à legalitatis rigore recedere.*

CE-

# CENSURA

## Reverendiſſimi Patris Magiſtri

# PETRI MANSO

## *Ordinis S. Auguſtini Cathedratici S. Thomæ.*

I. COntribuere cupiens, quantùm per me ſpectat, mediante mihi traditâ Commiſſione expreſsâ ab Univerſitate, ad effectum formandi Reſponſionem ſuper Conſultum à Sua Majeſtate, (quam Deus conſervare dignetur) propoſitum in ejus regali Cedula, neceſſarium præmittere judico Facti Relationem, quæ ad noſtram per Scripturam Typis datam pervênit notitiam. Principalis Clauſula in hoc comprehenſa Conſulto, ſic ait: *Poſtmodum ſexagenarius prudenter perpendens, non eſſe bonum hominem eſſe ſolum, ſociam ſibi quærere cogitavit, talem quidem, ut dictitabat, cum qua [ſi poſſibile foret] vivere liceret in caſto, & virginali Connubio, ad inſtar Sancti Patriarchæ Joſeph cum Sanctiſſima Sponſa Virgine Deipara; Itaut jugum Matrimonii, abſque carnis tribulatione, ſerena pace ſuſtinere valeret.*

2 Ait inſuper poſt mortem primæ Sponſæ Ven. Dei Servum ad ſecundas nuptias tranſitum feciſſe, & finem, & medium ſub hac forma proponit: *Poſtmodùm iniit Matrimonium ſecundum, eodem propoſito Virginitatis, & Caſtitatis eiſdem proteſtationibus, & in Sponſam aſſumpſit Pauperculam pariter, ſed virtutibus excultam Puellam.*

3 Ex hoc facto apparet Venerabilem non emiſiſſe Votum Caſtitatis, verùm habuiſſe propoſitum eam ſervandi in meliori forma, quæ ſibi poſſibilis foret. Propter quod ceſſat in hoc caſu magna difficultas

uniendi in Beatiſſima Virgine Votum Virginitatis cum Matrimonii validitate. Difficultas utique inter Modernos exagitata Theologos cum D. Thoma 3. part. quæſtion.29. art.1. & 2. nec non inter Antiquiores cum Mag. Sententiar. in 4. diſt. 30.

4 Apparet etiam ipſius Propoſitum factum de Caſtitate ſervanda, non fuiſſe abſolutum, ſed conditionatum, puta, *ſi poſſibile foret*: & Propoſitum ſub conditione emanatum minimè obſtat Matrimonio, & minori cum Difficultate conciliatur Matrimonium cum Caſtitatis Voto, ſub conditione factum; eò quia Matrimonium non excludit, ſed admittit Conditiones, dummodò ſupradictæ Conditiones non opponantur ſubſtantiæ Contractus, neque Sacramenti, uti docet Magiſter Baſilius Ponce lib.3. de Matrimonio cap.9. & Propoſitum factum de Caſtitate ſervanda non obſtat, neque opponitur ſubſtantiæ Matrimonii, quam veritatem diffusè probat P. Vaſquez 3. par. diſp.125. cap.6.

5 Supra recenſita conditio: *ſi poſſibile foret* eſt generalis, ſub qua comprehenduntur omnia requiſita, quæ Caſtitas perpetua in Conjugatis expoſtulat, ſicuti ſunt reciprocus, & mutuus amborum conſenſus, Divinæ Gratiæ auxilium, quo mediante ſe abſtinere valeant ab omni actu contrario Propoſito emanato de Caſtitate ſervanda. Hujuſmodi enim Propoſitum conditionatum, abſque dubio prudentiſſimum reputatur, eò quia fundatum in Dei gratia, qua mediante omnia poſſumus, ut ait Apoſtolus; & neque præjudiciale cenſetur rationi, quam habere poſſit Uxor, quia tale Propoſitum non fuit factum abſque illius conſenſu, ſinè quo, neque licitè poſſibile dicitur. D. Paul. 1. ad Cor. cap.7. D. Auguſtinus lib.2. de Conſenſu Euangeliſtarum c.5.

6 Neque tale Propoſitum præjudiciale dicitur Sacramento Matrimonii, ut habet Paludanus in 4. diſt.30. quæſt.2. Cartuſianus *in Vita Chriſti* part.1. cap.3. Abulenſis cap.30. de num. quæſt.32. Gerſon, & Marſilius cit. à Suarez. tom.2. in 3. part. diſp.7. ſect.1. Et ratio potiſſima eſt; quia eſſentia Matrimonii conſiſtit in unione animorum, & in translatione Dominii utriuſque Corporis contrahentium, & in uſu radicali, ſicuti de communi conſenſu docet Magiſter Baſilius de Matrim. lib.1. cap.17.n.7. Quale dominium transferri poteſt, perpetuò impeditum quò ad uſum, ut diffusè probat ſupra cit. Baſilius, Vaſquez diſp.125. cap.7.

7 Hujuſmodi Propoſitum ſanctiſſimum cenſetur, & perfectiſſimo motivo emiſſum, puta ad imitationem, in quantum ei poſſibile foret, Sponſalium Noſtræ Dominæ, & D. Joſeph, quem ſibi propoſuit in ſupremum exemplar imitandum, juxta mentem Sancti Patris noſtri Auguſtini loc. cit. ubi ait: *Hoc enim exemplo magnificè inſinuantur fidelibus conjugatis etiam ſervata pari conſenſu continentia poſſe permanere, vocarique conjugium, non permixto Corporis uſu, ſed cuſtodito*

*men-*

Digitized by Google

*mentis affectu*. Idem proponit exemplum D. Ambroſius lib. 2. de Virgin. & S. Idelphonſus orat. 1. de Aſſumptione; & eſtò, ut ait Dominus noſter, loquendo de hac materia Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt*; proculdubio hanc ſpecialem imitationis gratiam aliquibus particularibus eſſe conceſſam; quibus pariter ſpecialiſſimum Divinæ gratiæ Auxilium ad tantam virtutem ſervandam neceſſarium, conceſſum fuiſſe non dubitatur, quæ virtus heroica reputantur, ut ait D. Thom. 3. part. quæſt. 28. art. 5. *Unicuique à Deo datur gratia ſecundùm hoc ad quod eligitur*. Sanctus Joannes Chryſoſt. hom. 63. in Matth. explicans ſupra relata verba Chriſti Domini, ait: *Quibus verbis latenter eos ad eligendam Virginitatem inducit, dum eam eſſe poſſibilem adſtruit*. Non ſolùm poſſibilis reputatur Virginitas, & perpetua Caſtitas inter perſonas profitentes cælibatum, verùm, & in ſtatu conjugali viventes, quorum nonnulla canonizata exempla habentur, & ſunt Sanctus Enricus, Sancta Cæcilia, Sanctus Julianus, & Baſiliſa, Pulcheria Auguſta, & alii. Et eſtò rarum ſit exemplum eorum, qui Sponſalia contraxerunt, & Matrimonium cum intentione obſervandi perpetuam caſtitatem, abſque dubio tamen poſſibile reputatur, & in Sponſalibus Dominæ Noſtræ individuale, ac terminativum proponitur exemplum.

8 Præſens Caſus, ſeu Conſulti quæſitum, minimè conſiderandum eſt ſub regulis ut Sponſalia regularia, ſeu ordinaria comprehenſa intelliguntur; ſed cum exemplari ſupremo, ac ſingulariſſimo Dominæ Noſtræ, & D. Joſeph; ad quem imitandam ductus Ven. Servus Aparitius: *ſi poſſibile foret*. Frequens, & communis modus, ſeu communiter uſitatus ad conſervandam puritatem eſt ille, quo uſus fuit Joſeph in Ægypto, qui de manibus Dominæ ſuæ aufugit, in manibus ejuſdem pallio relicto. *Qui relicto in manu ejus pallio, fugit*. Gen. c. 39. Hoc tamen non obſtante Booz Biſavus Regis David in Caſtitate permanſit etiam coram humili Ruth, quæ neque vocata, neque expectata recubuit ad pedes illius, & cum Pallio ejuſdem Booz ſe cooperuit. *Venit abſconditè, & diſcooperto pallio, à pedibus ejus ſe projecit* Ruth. cap. 3. Stantibus regulis communibus ad ſervandam caſtitatem præſcriptis, malè ſe geſſit Booz ad ſuum præſtandum conſenſum, ut Ruth in ea hora ſuo uteretur pallio ad ſe cooperiendum; hoc tamen non obſtante, ſe divino committens auxilio, & Divinæ gratiæ adjutorio, de quo habebat experimentum, optimè potuit, mediante Dei gratia, à qua corroboratus, impollutam, & incontaminatam propriam ſervare caſtitatem. Sub iiſdem terminis præſens noſtrum procedit Conſultum, in quo eventus demonſtravit ſpecialiſſimam Dei gratiam Venerabili Servo Dei conceſſam, per quam non tantùm in ſemetipſo ejus Virginalem cuſtodivit puritatem, verùm etiam illa gratia ei con-



Digitized by Google

ceſſa fuit juvamen, ad hoc, ut duæ illius Sponſæ in Caſtitate permanerent, eveniens in ambabus per ipſum, illud idem, quod evenit D. Joſeph ob merita ſuæ Sanctiſſimæ Sponſæ, ſecundùm mentem D. Hieronymi lib. contra Helvidium prope finem, ubi habetur: *Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe. Ego mihi plus vendico, etiam ipſum Joſeph Virginem fuiſſe per Mariam.*

9 Ad fovendum calorem David, qui jam ad ſenilem pervenerat ætatem perquiſita fuit pulchrior Puella, quæ eſſet in Iſrael, & ad hunc finem ſelecta fuit Abiſag Sunamitis. Ad hunc obtinendum finem, & effectum, ſufficiebat hanc fuiſſe juvenili ætate inſignitam, & ſuperfluum videbatur, hanc etiam præclariori formoſitate, ſingularique nitore extitiſſe decoratam; dum regulariter loquendo, Sunamitidis hujus præclara pulchritudo pro fovendo naturali calore, potiùs judicari debebat ſpeciale motivum ad illud extinguendum, vel ſaltem ad illum magis diminuendum. Hoc non obſtante advertit D. Hieronymus *Epiſt.2. ad Nepotianum* ſuper enarratum in 3. Reg. cap.1. hanc formoſiſſimam Puellam calefeciſſe Regem, tanta cum innocentia, corporis, & * mentis puritate, ut tempore eodem, quo frigeſcentem Regis fovit calorem, illius pariter cuſtodivit caſtitatem. *Quæ eſt iſta Sunamitis, Uxor, & Virgo, tam fervens, ut frigidum calefaceret; tam Sancta, ut calentem ad libidinem non provocaret?* Eâdem uti poſſumus admiratione, iiſdemque D. Hieronymi verbis in caſu noſtro præſenti, videndo virum inſignem in propriam Domum duas recepiſſe Sponſas, ſed tanto puritatis candore, ut quantumvis ab eis fotum fuiſſe concedamus, quia earum legitimus fuerat *Sponſus*, eas tamen in earum virginitate cuſtodiviſſe propter Deum. Unum, & alterum factum extra ordinem, & ultra communes regulas admittimus, juxta quas non erunt praticabiles: ſed nihilominus uterque caſus mediante ſpeciali Dei gratia ad praxim reducitur, in qua ſpeciali Dei gratia ſuum fundaverat Propoſitum Venerabilis iſte Sponſus, quod fundamentum ſub illa manifeſtabat conditione: *Si foret poſſibile*.

10 Finis adjunctus, quem habuit noſter Venerabilis, [ ut ex relatione hujus facti colligitur ] fuit Deſiderium habendi ſociam, cui committere poſſet, & propriæ Perſonæ curam, & ſuæ Domus regimen, eò tamen pacto ſervando, ut unitim virginalem Puritatem Noſtræ Dominæ, & Sanctiſſimi illius Sponſi imitarentur; Quis audebit denegare, hunc finem non fuiſſe honeſtum, & non conformari motivo, ob quod Matrimonium à Deo fuit inſtitutum? *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Hanc intellexit veritatem noſter Venerabilis, & ſibi conſimilem quæſivit ſociam, puta adoleſcentulam Caſtitate, cæteriſque virtutibus, & perfectionibus inſignitam

* Nota ly *mentis* obſervatione dignum.

tam ad ejus ſimilitudinem factam, & juxta illius deſiderium ab eo inventa fuit prima, & ſecunda Sponſa ex hujus facti relatione colligitur.

11 Totam difficultatem conciliandi in Sanctiſſima Virgine Virginalem puritatem cum matrimoniali ſtatu, reducit D. Thomas ad duos Articulos in quæſt.29. 3. partis. Quærit in primo loco an conveniens fuit Chriſtum Jeſum de Virgine naſci, jam Matrimonio conjuncta. Et in ſecundo controvertit, an illius Matrimonium fuiſſet verum, & legitimum Matrimonium. Præſens caſus eaſdem patitur difficultates, & quæſtiones; eò quia ſicuti hujuſmodi Matrimonium fuit contractum ad imitationem Sanctiſſimæ Virginis, illiuſque Sponſi D. Joſeph, ita pariformiter eaſdem ad ſe trahit difficultates; eſto ſicuti dictum eſt, illa duo Matrimonia noſtri Venerabilis, in quibus cùm non interveniſſet Votum Caſtitatis ſervandæ, ſicuti tale votum interventum fuiſſe dicimus inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph, multùm inferiora reputantur; nam in utroque Matrimonio noſtri Venerabilis non adfuiſſe Votum, benè verò propoſitum ſervandæ Caſtitatis, ſupra demonſtravimus, & inſuper tale propoſitum minimè fuiſſe abſolutum, ſed conditionatum, illa nempe ampliſſima conditione, ſi talis propoſiti obſervantia *ſibi poſſibilis foret*. Has duas difficultates tangere debemus in præſenti Scriptura.

12 Et nè Articulorum ordinem D. Thomæ, neque decidendi Methodum præterire dicamur, in hoc puncto videtur non fuiſſe conveniens Venerab. ducere Uxorem dum deſiderabat propriam Virginalem ſervare Caſtitatem; Primò quia Uxorem ducere debent illi, qui ſe cognoſcunt vivere non poſſe continentes, & cælibatum minimè valent obſervare, juxta D. Pauli Sententiam ad Corinth. *Quod ſi non ſe continent, nubant*; Illi autem, quibus per Dei gratiam datum eſt ſpeciale privilegium ſervandi propriam Caſtitatem, vult Apoſtolus, quod Cælibatum obſervent: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut me ipſum*. Noſter Venerabilis, de quo hìc quæſtionem facimus, ſpeciali Dei gratia fuit à Deo inſignitus ad propriam ſervandam puritatem, ſicuti experientiâ patet; & ſecundùm D. Pauli Textum, ubi habetur *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo*; Non erat igitur conveniens, ut Uxorem ipſe duceret, & contra conſilium, & Apoſtoli Doctrinam operaretur.

13 Secundò: Quia ille qui cupit, & efficaciter tendit ad finis conſecutionem, debet prudenter eligere media ad talis finis conſecutionem ordinata: Uxorem ducere, & cum duabus Sponſis convivere, non cenſetur medium conducens ad intactam ſervandam pudicitiam, ſed periculum vehemens ad illam contaminandam, & tale eligere medium, eſt proximum quærere periculum, quod damnat Spiritus Sanctus. Eccleſiaſtes 30. Cui addendum eſt, quod cùm extitiſſet ſemper valde

pe-

periculoſum, & præjudiciale hominibus inſignibus familiare commercium cum mulieribus, quorum exempla, uſque ab origine mundi memoriæ tradita reſervantur ad noſtram eruditionem, & cautelam, ab Adam ad ſuos Poſteros uſque ad Diluvium, à David, à Salomone, & aliis ad prævaricandum inductis à mulieribus; nimia præſumptio, & ſui ipſius exceſſiva confidentia dicendæ videntur; ex una parte deſiderare caſtam ducere vitam, & ex alia parte ſe exponere ad familiariter, & domeſticè convivendum, & tractandum cum mulieribus in eadem Domo commorantibus, cum quibus ſponſalia contracta fuerunt. Reſtat igitur concludendum, hunc noſtrum Venerabilem, aut imprudentem extitiſſe in eligendo media ad Caſtitatem ſervandam minimè adaptata, aut valdè, & exceſſivè de ſe ipſo præſumpſiſſe ſuper materiam, in ordine ad quam tot homines, etiam præclariſſimos fuiſſe prævaricatos, & qui ad noſtram doctrinam proponuntur.

14 Tertiò; Quia [ juxta mentem D. Thomæ de Villanova ] ille qui prætergreditur regularem viam à noſtris Majoribus nobis traditam, aut in operando prodigioſus dicitur, aut malitioſus, & malignus reputatur: *Qui metas tranſgreditur Majorum, aut aliquid ſignat, aut flagitioſus eſt*. Via, ſeu itinerarium, *quod Majores* tradiderunt ſequendum ad puritatem ſervandam virginalem, cælibatum, & non Matrimonialem ſtatum eſſe dixerunt; Dicendum eſt igitur hunc noſtrum Venerabilem ſpecialem habuiſſe inſtinctum, ſeu impulſum à Spiritu Sancto, & correſpondentem gratiam ad imitandum prodigioſa Sponſalia Sanctiſſimæ Virginis, & Divi Joſeph, aut imprudenter, & erroneè egiſſe in prætenſione propriæ ſervandæ Caſtitatis cum ſtatu Matrimonii. Cui addendum reſtat, quod ad ſalvandam Matrimonii validitatem, cum Propoſito ſe conſervandi in virginali puritate, multæ circumſtantiæ, & præciſiones prærequiruntur in ordine ad ſubſtantiam, & finem, quem habere debet ſtatus matrimonialis, & Matrimonii Sacramentum, ſicuti apparebit in Articulo ſequenti. Venerabilis noſter Vir Agricola erat, & ignarus, & nullam literarum habebat notitiam, ob quam cauſam, nullam capacitatem habebat ad conſiderandas circumſtantias, & præciſiones adeò delicatas, & ſubtiles; Igitur aut in periculo ſe expoſuit contrahendi Matrimonium invalidum, aut verum, & firmum non habuit propoſitum propriam intactam ſervandi virginalem pudicitiam.

15 Hoc non obſtante, [ ſicuti docet D. Thomas ] conveniens, & neceſſarium fuiſſe Matrimonium Sanctiſſimæ Virginis, & in primo articulo aſſignat undecim rationes de conſequentia, quas confirmat per Doctrinas Sanctorum Patrum, videtur idem eſſe à nobis aſſerendum de duobus Matrimoniis hujus Venerabilis, cui applicari poſſunt verba D. Thomæ: *Ibi in ſolutione ad primum*; *Dicendum, quod ex familiari inſtinctu Spiritus Sancti credendum eſt deſponſari voluiſſe, confidens*

de

Digitized by Google

*de divino auxilio, quod numquam ad carnalem copulam perveniret. Hoc tamen divino commiſit arbitrio, unde in nullo detrimentum paſſa eſt Virginitas*. Ex facti conſtat relatione, hunc noſtrum Venerabilem imitare voluiſſe ſupremum exemplar Virginalis Deſponſationis Sanctiſſimæ Noſtræ Dominæ cum D. Joſeph; & cùm ſit de fide credendum, juxta D. Pauli verba, nos ex nobis, quaſi ex nobiſmetipſis habere non poſſe, abſque ſpeciali Sancti Spiritus impulſu, nec quidem bonam cogitationem, conſequenter ſequitur non ſinè ſpeciali Sancti Spiritus inſtinctu hunc Venerabilem voluiſſe imitari adeò arduam, & altiſſimam perfectionem; ad quam pertingendam non de ſe ipſo præſumebat, ſed ſolummodo in Dei gratia, & internè ſe totum remittebat ad divinum beneplacitum, ut apparet ex illa clauſula conditionali, cum qua Matrimonium contraxit, perquirendo in Sponſam Puellam, quæ ſuo deſiderio conformem habuiſſet intentionem, & voluntatem. *Cum qua (ſi poſſibile foret) vivere liceret, in caſto, & virginali connubio*. Et ex hoc infertur, quod juxta D. Thomæ mentem ipſe matrimonium contraxit, ſinè Virginalis pudicitiæ præjudicio: *Unde in nullo detrimentum paſſa eſt Virginitas*.

16 D. Thomas undecim rationes de conſequentia adducit ſuper Matrimonium Noſtræ Dominæ unam ex parte Sanctiſſimæ Virginis, & alias in ordine ad illius Filium, & alias in noſtram eruditionem. Non nullæ ex his rationibus etiam militant in ordine ad duo Matrimonia noſtri Venerabilis, quorum congruentiam probant. Inter alias congruentias, quas adducit D. Thomas ex parte Chriſti Domini noſtri ſunt ſequentes: *Tertiò ad tutelam pueri nati, nè Diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraret. Quartò, ut à Joſeph nutriretur, unde & Pater ejus dictus eſt, quaſi nutritius*. Eaſdem perceperunt congruentias duæ Sponſæ Venerabilis; eò quia ſtatim, ac cum ipſo deſponſatæ fuere, ſub illius permanſerunt tutela, & protectione, per quam earum Virginitatem cuſtodire, & conſervare potuerunt, nec non diabolicas ſuperare tentationes. *Tertio ad tutelam*; Ita pariter tantum prima, quàntum ſecunda Sponſa invenerunt in Venerabili potius amorem Patris, quàm Sponſi, & ita de facto à ſecunda Sponſa Pater vocabatur, & non Maritus; & una, & altera ab eodem victum, & veſtitum, quò ad decentiam, & omnia eis neceſſaria receperunt. *Quarto, ut à Joſeph nutriretur; unde, & Pater ejus dictus eſt, quaſi nutritius*. In ordine ad Dominam noſtram, ſequentem aſſignat convenientiam D. Thomas. *Tertiò, ut ei à Joſeph miniſterium exhiberetur, ut Hieronymus dicit*. Hunc eumdem obtinuit finem Venerabilis in ſuarum duarum Sponſarum adminiſtratione, à quibus adjuvamen ſuſcepit in regimine propriæ Domus, & de propria perſona curam ſuſceperunt, & cum ipſo aſſociatæ fuerunt abſque earum Virginitatis detrimen-

Digitized by Google

mento. Et tandem *ex parte noſtra*, ſeu ad noſtram utilitatem conveniens adjudicavit D. Thomas Sanctiſſimæ Virginis Matrimonium. *Quarto quia per hoc ſignificatur univerſa Eccleſia, quæ cum Virgo ſit, deſponſata tamen eſt uni Viro Chriſto*, ut ait D. Auguſtinus: *Poteſt etiam, & quinta ratio eſſe, quod Mater Domini fuit deſponſata, & Virgo, quia in Perſona ipſius, & Virginitas, & Matrimonium honoratur, contra Hæreticos alteri eorum detrahentes*. In caſu noſtro eaſdem videmus militare rationes, eò quia ſi Adæ Matrimonium unionem Chriſti cum ſua Eccleſia ſignificabat, ut ait Apoſtolus: *Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*; Ita pariformiter fuiſſe ſignificatum videtur in hujus Venerabilis Matrimonio, cum illa ſpeciali, ſingularique intentione habita ſe permanſurum eſſe in ſtatu Virginitatis una cum ſibi uxore deſponſata. *Quæ cum Virgo ſit, deſponſata tamen eſt uni Viro Chriſto*. Et ſi per virginalia Beatiſſimæ Virginis Sponſalia, honore præclariſſimo inſignita extitit Virginitas, condecoratum Matrimonium, ab Hæreticis vituperatum malè ſentientibus de excellentia, & dignitate Virtutis Virginitatis, & Sanctitate incluſa in Matrimonio, ſub ratione Sacramenti conſiderato, & quia uſque ad noſtra tempora perſeverant illarum Hæreſum reſidua, etiam neceſſarium temporibus noſtris judicare debemus, ut renovetur memoria, & imitatio illius prodigioſi exemplaris, puta illius Matrimonii contracti inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph, & hoc, ob honorem Sacramenti Matrimonii, & Sanctæ Virtutis Virginalis Puritatis; *Contra Hæreticos alteri eorum detrahentes*.

17 Facilis aſſignatur reſponſio ad fundamenta in contrarium adducta: & ad primum dicimus Paulum Apoſtolum loqui, & eſſe intelligendum de Matrimonio in communi, in quo qui cum ſuâ Uxore eſt, ſollicitus ſit circa ea, quæ ſunt huius mundi, & quomodo placeat Uxori, dimidium cordis tantùm ſibi reſtat Deo dandum: *Qui autem cum Uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat Uxori, & diviſus eſt*. Et volens Apoſtolus nos ab hujuſmodi ſollicitudinibus, & inanibus cogitationibus eſſe alienos: *Volo autem vos ſinè ſollicitudine eſſe*; ideo cupit omnes homines in caſtitate permanere, & ut minimè ad matrimoniale pertranſeant Conjugium: *Volo autem omnes homines eſſe, ſicut me ipſum*: Noſtri autem Venerabilis Matrimonium, non communi, ſed ſpeciali refulget prærogativa inſignitum, eò quia fuit contractum ad imitationem Matrimonii Sanctiſſimæ Deiparæ; Et tale Matrimonium nullum ſecum fert impedimentum ad totum Cor Deo dandum; imò utriuſque conſortis Virginali puritate conſecrata Deo, conſecrantur ipſi, ut Authori puritatis, duo per integrum corda. Nec Apoſtolus loquitur de hoc ſpeciali Matrimonio ad imitationem Deiparæ Virginis à noſtro Venerabili contracto; eò quià loco cit. tradit

Digitized by Google

dit Doctrinam generalem cunctis Eccleſiæ Fidelibus, & exemplum hujus ſpecialis Matrimonii Virginalis ſuperius communibus legibus reputatur.

18 Ad ſecundam fundamentalem rationem in contrarium adductam, dicimus: noſtrum Venerabilem ſuam manifeſtaſſe prudentiam tam ſibi connaturalem, quia jam ad ſexagenariam pervenerat ætatem, quàm ſupernaturalem, in adhibitis cautionibus, & diligentiis, quibus uſus fuit in quærendo ſibi ſponſam, cum qua conſervari poſſet in propoſito emanato, ſibique præfixo ſervandæ caſtitatis, ad imitationem noſtræ Dominæ: Et eſt credibile [ licèt per relationem facti non appareat ] illum ad ipſam SS.Virginem ferventi oratione habuiſſe refugium, eamque enixè exoraſſe; ut ad ſuas pervenire faceret manus talem ſponſam; eò quia, ſi tractus amoris impulſu erga Virginalem puritatem Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph illius ſponſi, quorum imitationem aggreſſus eſt, valdè credibile reputandum erit, eoſdem ſibi in Protectores ſui deſiderii à Deo fuiſſe aſſignatos, nec non apud ipſum extitiſſe Interceſſores, ut ſuum eſſet adimpletum deſiderium, quale erat inveniendi ſibi ſponſam proportionatam, ſuoque deſiderio de caſtitate ſervanda uniformem habentem voluntatem. Et hoc totum deducitur ex illa clauſula: *Poſtmodùm ſexagenarius, prudenter perpendens non eſſe bonum hominem eſſe ſolum, ſociam ſibi quærere cogitavit, talem quidem, cum qua ſi poſſibile foret, vivere liceret in caſto, & virginali connubio, ad inſtar Sancti Patriarchæ Joſeph cum Sanctiſſima Sponſa Virgine Deipara*. Tale ſtudium, ſeu tam ingens, & ſtudioſa diligentia, qua uſus fuit in ſibi talem quærendo ſponſam optimè manifeſtat prudentiam, quam adhibuit in eligendo medium adaptatum ad finis ſibi præfixi conſecutionem, puta in ſe conſervando in ſtatu virginalis caſtitatis, etiam matrimoniali jugo alligatus, & quando tale non extitiſſet illius primarium intentum, & animi propoſitum, ſed tantum communis Matrimonii finis, nulla ei fuiſſet neceſſitas quærendi ſibi ſponſam peculiarem: imò cum fortunæ bonis ſuperabundaret, & in ſponſum concupibilis, innumeras præ manibus habuiſſet occaſiones, ſpontè ſibi oblatas, abſquè ulla ab eo diligentia; præmiſſa peculiare igitur illius ſtudium, quo ſibi quæſivit ſponſam ſpecialem,tam arduo ſibi prœfixo fini adaptatam, illius commendabilis prudentiæ præclarum præbet inditium. Neque vituperatione, neque vanitate improbanda cenſetur illius confidentia habita in propriam ſervando caſtitatem in ſtatu Matrimoniali, contra exempla in Argumento adducta; Primo quia illius fiducia, in Dei gratiæ adjutorio erat fundata, quo omnia ſunt poſſibilia: *Omnia poſſum*, ait Apoſtolus ad Philip. *in eo, qui me confortat*; ſecundò quia in illa conditionali [*ſi poſſibile foret* ] manifeſtè apparet, quantam de ſe ipſo Venerabilis haberet diffidentiam, me-

tuens, ac formidans abſolutum emittere propoſitum ſervandi caſtitatem, ſed tantùm poſſibili factâ ſuppoſitione, de ſibi à Deo gratiâ concedendâ proportionatâ. Et ad illius prudentiæ laudem, & gloriam advertendum eſt, ſe nullum emiſiſſe Votum, ſed tantùm habuiſſe propoſitum, & ſub conditione factum cum ſua amplitudine, quale propoſitum neminem obligat ſub peccato, in eo ſe poſuit ſtatu, in quo nullum contraxiſſet reatum, ſi ad Matrimonii conſummationem veniſſet, & ſi ab hujuſmodi ſe abſtinuiſſet conſummatione, meritum ſibi fuiſſet lucratus heroicum. Hoc denotat in Venerabili, non ſolùm prudentiam naturalem; verùm & infuſam, & ſupernaturalem, naturæ limites, & ordinem excedentem; eò quià licet eſſet Vir ruralis, & nulla literarum peritia imbutus, ſcivit tamen in tali ſe conſtituere ſtatu, in quo abſque ullo Animæ propriæ imminenti periculo, ad heroicam pervenire poſſet perfectionem per hujus tam præclaræ Virtutis acquiſitionem.

19 Ad tertium fundamentum reſpondetur: Propoſitionem D. Thomæ de Villanova eſſe disjunctivam, & veriſſimam eſſe in praxim, eò quia quæcumque ſingularitas incedens extra ordinem ab antiquioribus præſcriptum, aut ortum ducit à ſingulari, & ſpeciali virtutis dono, aut ab abominabili provenire ſolet ſuperbia eorum, qui per communem, & regularem ſemitam negligunt incedere; Et cùm nequeat dici hunc Venerabilem fuiſſe maleſuadum, & flagitioſum, quandoquidem contrarium probat odor ſanctitatis eius, miraculis confirmatus, quorum examen apud Sanctam Sedem pendet, ſequitur, quod ei conveniat altera pars disjunctionis doctrinæ S. Thomæ à Villanova: atque cum hoc ſancto, debemus venerari hunc Venerabilem, utpotè, virtute miraculoſa, & ſingulariſſima ornatum, expectantes ſuæ ſanctitatis deciſionem, in quantum ad cultum reſpicit.

20 Ad ultimum in ordine ad prærequirenda, præciſiones, nec non ſubtiliſſima ſcibilia, ſeu intellectus acumina, quæ veluti impropria in Viro ruſtico, & literarum imperito videntur, reſpondetur cum auctoritate Ugonis Victorini ſuper 7. de Angel. Hierarch. ubi habet. *Conſtat, ut qui ardentius diligunt, profundiùs conſpiciant, & ſubtiliùs diſcernant*. Venerabilis noſter, eſtò ſine literarum peritia, adeò ardenti flagrabat amore erga Deum, ut etiam in ſtatu Matrimoniali conjunctus, propriam Virginalem puritatem obtulerit in holocauſtum. Ex hoc ardenti, & ſpeciali amore erga Deum, rationabiliter inferre poſſumus, ipſum ſub relatis præciſionibus, & prærequiſitis, nonnuliis abſconditis Mundi Sapientibus, ſed à Deo parvulis, & humilibus revelatis, talem ſibi vivendi normam præſcripſiſſe, & hoc ſibi ſpeciale Matrimonium elegiſſe. Nonnè Origenes cæteros ſui temporis Sapientes, Magiſtros, Doctores antecelluit, & ſuper iſtos præclarere viſus fuit? Et tamen minis à Tyranno perterritus, ut ſi Idololatriæ cul-

cultum non fuiſſet amplexus, alicui Æthiopo mandaſſet, ut violenter illius corpore abuteretur, & harum minarum terrore viliter ſuperatus, & devictus, nefarium Apoſtaſiæ crimen commiſit, & ad Idololatriæ cultum pertranſiit, ne in involuntariam corporis incurreret impuritatem. Et è contra Sancta Lucia Virgo, & Martyr pariter à Tyranno minis tentata contra illius virginalem pudicitiam, licèt fœmina, & inerudita, eam dedit Tyranno ſapientiſſimam reſponſionem ab Origene cum tota ſua Sapientia ignoratam, & hanc dedit Sancta Virgo comminanti Tyranno reſponſionem: *Si invitam juſſeris violari; Caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*. Hanc ſapientiſſimam dare ſcivit reſponſionem indocta, & ſimplex Muliercula, quam reſponſionem ignoraverat Vir doctiſſimus, fama, doctrina, ſapientia præclariſſimus illius ſæculi, quapropter reputari non debet, tamquàm inſolitum, & improbabile, quòd Vir Agricola divinitus illuſtratus, illa ſublimia penetraret arcana, quæ difficillima reputantur ab humana ſapientia. D. Thom. in 1. part. quæſt. 1. art. 6. ad 3. aſſignat duas ſapientias, ſeu duos ſapienter judicandi modos, ut judicium feramus certum circa noſtra agibilia: Una eſt illa, quæ noſtro, & proprio, labore, & literarum ſtudio comparatur, & hæc dicitur Sapientia communis omnibus Viris ſcientia præditis: altera dicitur propria virorum virtutibus ornatorum, & ut ait Ariſt. lib. 10. Ethicor. cap. 5. & eſt Spiritus Sancti donum, & vocatur Sapientiæ donum, de quo loquitur Apoſtolus ad Corinth. 12. *Spiritualis homo* &c. Et hanc Sapientiam ſupponimus noſtrum habuiſſe Venerabilem, qua directus, & illuminatus fuit ad ſibi eligendum ſtatum, in quo propriam cuſtodire debebat Virginalem puritatem.

21 Cùm jam igitur viſum ſit noſtri Venerabilis Matrimonium cum ſupra relato propoſito celebratum, conſervandi videlicet [ ſi poſſibile foret ] propriam Virginalem puritatem, fuiſſe conveniens, abſque ulla imprudentiæ, vanitatis, præſumptionis, & nimiæ ſui ipſius confidentiæ cenſura; Remanet videnda ſecunda Difficultas, quæ agitatur à D. Thoma in art. 2. in ordine ad Matrimonium Sanctiſſimæ Dei Genitricis: Et hic dubitatur an noſtri Venerabilis Matrimonium contractum, & celebratum cum propoſito conſervandi in eo propriam Virginalem puritatem, [ ſi poſſibile foret ] fuerit verum, & validum Matrimonium. Videtur non fuiſſe verum, neque validum, ſtantibus Auctoritatibus, & Doctrinis Sanctorum PP. quas adducit D. Thomas in principio ſecundi Articuli ad probandum inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph verum non interveniſſe Matrimonium; Quibus Auctoritatibus adduntur etiam rationes, quas adducit P. Suarez in 3. par. quæſtione 29. diſput. 7. ſect. 1., quæ idem probant. Noſter Venerabilis Matrimonium contrahere voluit ad imitationem Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph, uti apparet in hujus facti relatione; igitur per ta-

lia ſponſalia, neque validum contraxit Matrimonium.

22 Secundo quia, ut ait D. Auguſtinus lib.19. cont.Fauſtum cap.26. *Matrimonium quippè ex hoc appellatum eſt, quòd non ob aliud fœminam nubere, quàm ut Mater fiat.* Implicat noſtri Venerabilis ſponſas evadere potuiſſe Matres ſinè earum præmiſſo conſenſu, una ſemel, quòd tam ipſæ, quàm ſponſus habuerint propoſitum perpetuam ſervandi caſtitatem virginalem; Matrimonium ergò cum tali propoſito contractum, ultra invalidum, videtur fuiſſe implicatorium.

23. Tertiò quia quodcumque conditionis genus, quod opponitur ſubſtantiæ Matrimonii, invalidat contractum illius, ipſumque reddit nullius roboris, & valoris, uti conſtat in cap. final. de condit. appoſit. Intendit Pontifex conditiones oppoſitas ſubſtantiæ Matrimonii eas eſſe intelligendas, quæ Matrimonii Bonis opponuntur, inter quæ numerantur, Proles, Fides, & Sacramentum. Propoſitum emanatum obſervandi perpetuam caſtitatem virginalem, opponitur Bono prolis, & ſucceſſionis; Igitur eſt conditio, quæ opponitur ſubſtantiæ Matrimonii, & per conſequens illud reddit nullum, & invalidum; eò quia de hujuſmodi conditionibus ait Pontifex: *Si conditiones contra ſubſtantiam Conjugii inſerantur, matrimonialis contractus, quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu.*

24 Quartò quia ad eſſentiam Matrimonii ſpectat mutua, & reciproca traditio corporum contrahentium, iuxta D. Pauli Textum 1. ad Corinth. cap. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed Vir; ſimiliter Vir poteſtatem non habet ſui corporis, ſed Mulier.* Hæc mutua traditio corporis implicitè comprehendit, & importat utriuſque conſenſum ad copulam, ut docet D. Thom.3. par. quæſt.26. art.2. Et deducitur ex cap. *ſufficiat* 27. quæſt.2. Implicat igitur adeſſe conſenſum implicitum ad uſum, & reciprocam corporum traditionem, & contrahentes habere propoſitum permanendi in ſtatu perpetuæ Virginitatis, & Caſtitatis, cùm iſtæ ſint duæ voluntates contrariæ, & ad invicem oppoſitæ; una enim, qua quiſque contrahentium vult uſum Dominii utriuſque corporis, & alia qua vult ſe à tali uſu abſtinere; ſequitur ergo noſtri Venerabilis propoſitum reddidiſſe nullum, & invalidum Matrimonium.

25 Et confirmatur, eò quia, aut perpetuæ Virginitatis propoſitum fuit mutuum, & ab ambobus contrahentibus elicitum, aut tantùm ab uno ex contrahentibus, puta à Venerabili; ſi mutuum, & reciprocum, urget Argumentum jam ſupra adductum; puta tale propoſitum opponi ſubſtantiæ Matrimonii, qua oppoſitione redditur invalidum, ſi verò fuit tantùm à Venerabili elicitum, ſequitur hujuſmodi contractum fuiſſe injuſtum, & malitioſum; & ratio eſt, quia aut Venerabilis verè, & ſincerè tradidit ſuæ ſponſæ proprii corporis uſum, & dominium

nium, aut fictè, & malitiosè; ſi ſecundum, etiam ſimulatus, & malitioſus reputatur contractus; ſi primum, ergo illius ſponſa per hanc ſinceram, & veracem ſui corporis traditionem, verum acquiſivit dominium ad uſum ſui Viri; & ſicuti talis uſus requiſitus, & ei denegatus, talis denegatio fuiſſet injuſta, ita propoſitum de ſe abſtinendo, eique denegando talem uſum, ſi non fuit mutuum, injuſtum deputatur.

26 Confirmatur etiam Argumento Gratiani 37. *quæſt.2. verſ. cum ergo*. Si ſexuum diverſitas, ſinè ordine, & propenſione ad generationem, & cum ſolo ordine intenta ad vivendum in ſocietatem, ſufficit ad contrahendum Matrimonium, nulla erit aſſignabilis ratio, quare non ſit permiſſum Matrimonium contrahendum inter fratrem, & ſororem; eò quia frater, & ſoror vivere poſſunt in ſocietatem, mutuâ unione animorum; & abſque ulla indecentia poſſunt mutuò coadjuvari communicatione Bonorum, & reciproco honore, & reverentiâ. In Matrimoniis autem contractis cum propoſito ſervandi perpetuam caſtitatem, in conjugatis alia non remanet unio, niſi animorum, vivendi in ſocietatem, communicandi in Bonis, & reddendi ad invicem mutuum honorem, & obſequium; Nullum igitur adeſt in contrarium impedimentum, quod tale Matrimonium contrahi non poſſit inter fratrem, & ſororem.

27 Tandem confirmatur quodcumque Sacramentum redditur nullum, & invalidum ex parte defectus materiæ neceſſariæ; ſicuti nullum eſt Baptiſmi Sacramentum ex defectu aquæ naturalis, ſeu elementaris; nullum Sacramentum Euchariſtiæ ex defectu Panis, & Vini; nullum Sacramentum Pœnitentiæ ex defectu peccatorum, & doloris &c. Sacramenti Matrimonii materia ſunt corpora contrahentium ad generationem proportionata; Ipſorumque corporum mutua traditio ob hunc finem reputatur materia proxima Sacramenti Matrimonii; Si igitur propoſitum emanatum de perpetua Virginitate ſervanda directè opponitur mutuæ traditioni ipſorum corporum, nec non fini primario generationis, ſupra relatum propoſitum deſtruit materiam Matrimonii, ac ideo tale Sacramentum ex defectu materiæ neceſſariæ redditur nullum, & invalidum.

28 His non obſtantibus præmiſſis fundamentalibus rationibus, aſſerendum eſt cum D. Patre noſtro Auguſtino, & D. Thoma, omniumque Theologorum communi conſenſu, hujus Venerabilis Matrimonium, cum ſupra relato propoſito contractum fuiſſe verum, & validum. Et probatur communi, & generali ratione; eò quia juxta mentem Sanctorum Patrum, quos adducit Magiſter Baſilius Ponce de Matrim. lib.1. capit.19. inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph verum fuit contractum Matrimonium. Pater Vaſquez obſervat in 2. part. diſp. 125. num.10. Divum noſtrum Patrem Auguſtinum fuiſſe primum hujus

ſen-

ſententiæ Defenſorem majori cum efficacia in lib.23. contr. Fauſtum cap.16., & lib.1. de Nuptijs, & concupiſcent. cap.11. & lib.5. in Julian. cap.9. Et etiam clarè apparet in D. Auguſtino, & in aliis SS. PP. Beatiſſimam Virginem votum feciſſe Caſtitatis antequam eſſet deſponſata, ſicuti diffusè probant Baſilius, Vaſquez in locis ſup. cit. Et quamvis dubitari poſſit an tale votum factum, fuerit abſolutum, aut conditionatum; expreſsè, & clarè patet in D. Thoma, quod antequam Beatiſſima Virgo eſſet deſponſata, nullum aliud emiſerit votum, quàm conditionatum obſervandi Virginalem Caſtitatem: *Si Deo placeret*. Si igitur votum perpetuæ Caſtitatis non impedit valorem, & veracitatem Sacramenti Matrimonii, à fortiori neque propoſitum continentiæ perpetuæ, cum propoſitum minoris roboris eſt, quàm votum, & ideo non erit impedimentum invalidans, & annullans veracitatem Sacramenti, & contractus. Hæc conſequentia infertur etiam facta ſuppoſitione, juxta mentem D. Thomæ votum Beatiſſimæ Virginis Caſtitatis perpetuæ fuiſſe tantùm conditionatum, non verò abſolutum; quia neque noſtri Venerabilis propoſitum fuit abſolutum, ſed expreſsè conditionatum, & adeò ampliativa conditione factum, ut in eo totum comprehendatur poſſibile *ſi poſſibile foret*.

29 Hujus ſententiæ probatio ſpecialis deſumitur ex doctrina D. Thomæ, quem juxta obſervationem Magiſtri Baſilii lib.7. cap.56. Aliqui putant eſſe huic ſententiæ contrarium; nullatenùs illius doctrina clarè adduci poteſt in noſtræ ſententiæ favorem. Ita n. ait 3. par. quæſt.29. art.2. in corpore: *Dicendum, quod Matrimonium, ſive conjugium dicitur verum ex hoc, quod ſuam perfectionem attingit; Duplex eſt autem rei perfectio, prima, & ſecunda. Prima rei perfectio conſiſtit in ipſa forma, ex qua ſpeciem ſortitur; ſecunda verò perfectio, conſiſtit in operatione rei, per quam res aliqualiter ſuum finem attingit. Forma autem Matrimonii conſiſtit in quadam indiviſibili conjunctione Animorum, per quam unus conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur. Finis autem Matrimonii eſt Proles generanda, & educanda. Ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem; ad ſecundum per alia opera Viri, & Uxoris, quibus ſibi invicem obſequuntur ad Prolem nutriendam*. Hic aſſignat D. Thomas ſuas perfectiones in Matrimonio, primariam unam, & ideo eſſentialem Sacramento, & contractui, & hæc conſiſtit in Animorum unione, & in mutua obligatione, quam contrahunt contrahentes ſe deſponſantes obſervandi, & conſervandi ad invicem reciprocam fidem. Alteram ſecundariam perfectionem aſſignat Matrimonii, ideoque non eſſentialem, & hæc conſiſtit in actibus matrimonialibus ad finem Matrimonii ordinatis, & talis eſt generatio prolis, & filiorum educatio.

30 Ex hoc infert Sanctus Doctor, inter Beatiſſimam Virginem, &

D.

Digitized by Google

D. Joſeph verum & validum contractum fuiſſe Matrimonium; eò quia in eo interveniſſe apparet veram Animorum unionem, quam vocat D. Thomas *copulam conjugalem*, eamque diſtinguit à copula carnali ad generationem prolis ordinata, veluti ad finem Matrimoniorum in communi: *Sic igitur dicendum eſt, quod quantum ad primam perfectionem omnino verum fuit Matrimonium Virginis Matris Dei, & D. Joſeph, quia uterque conſenſit in copulam conjugalem, non autem expreſsè in copulam carnalem niſi, ſub conditione, ſi Deo placeret*. Igitur ſecundùm D. Thomæ doctrinam aſſerendum eſt ſponſalia Venerabilis verum fuiſſe Matrimonium, eò quia in utraque deſponſatione veram unionem Animorum interveniſſe conſtat, verumque ligamen conjugale, quod eſt primaria, & eſſentialis perfectio contractus, & Sacramenti Matrimonii; Et quamvis contrahentes expreſſum non dediſſent conſenſum ad unionem, & copulam carnalem, eumdem tamen habuere conſenſum ſub conditione: *ſi Deo placeret*; quæ quidem conventio comprehenſa videtur in illa conditionali expreſsè à Venerabili declarata, proponente ſervandi perpetuam caſtitatem, *ſi poſſibile foret*.

31 Infert etiam ſupra cit. D. Thomas, quòd Matrimonium inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph contractum quamquam habuerit ſecundam perfectionem, modo prodigioſo, hanc tamen non habuit modo naturali, exindè ſequitur illud Matrimonium non fuiſſe conſummatum. Ibi: *Quantum verò ad ſecundam perfectionem, quæ eſt per actum Matrimonii, ſi hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit Matrimonium conſummatum*. Et hìc notandum venit, Sanctum Doctorem negare utique illud Matrimonium fuiſſe conſummatum, non negare tamen illud fuiſſe legitimum, verum, & validum. Quam doctrinam confirmavit poſtea Concilium Tridentinum, ponendo diſcrimen inter Matrimonium ratum, & conſummatum. Sequitur ergo noſtri Venerabilis Matrimonium, contractum cum propoſito perpetuam ſervandi caſtitatem, eſtò dici non poſſit Matrimonium conſummatum, rationabiliter tamen eſt dicendum Matrimonium ratum, & ideo verum, & legitimum Matrimonium.

32 Oritur difficultas inter Doctores in explicando in quo ſenſu loquatur D. Thomas, *conſenſum ad copulam carnalem* eſſe de eſſentia Matrimonii. Fortiter hanc difficultatem tangit P. Sanchez. lib. 2. de Matrim. diſp. 20. num. 4. ubi habet. *Dupliciter intelligi poſſe, ut conſenſus implicitus in copulam deſideretur ad verum Matrimonium. Primo modo loquendo de conſenſu implicito, quantum eſt ex parte contractus; & hoc modo veriſſimum eſt eum deſiderari: cùm enim contractus Matrimonii intrinſecè ordinetur ad copulam, qui explicitè conſenſit in illum, conſequenter in hanc implicitè conſentit ex vi talis contractus. Secundo modo poteſt intelligi ex parte contrahentis; & hoc pacto non*

*eſt*

*eſt neceſſarius conſenſus implicitus in copulam; imo licet coutrahens habeat intentionem non conſentiendi in copulam, eſt verum Matrimonium, ut probant argumenta num.2. propoſita*: In hac materia diſtinguit iſte Doctor Claſſicus duos conſenſus implicitos in copula carnali, *unum ex parte contractus, & alterum ex parte contrahentis*, & ait primum eſſe eſſentialem, & neceſſarium ad valorem Matrimonii, non verò ſecundum, & ideo validum dicitur Matrimonium, licèt contractum cum intentione, & propoſito *de non conſentiendo in copulam carnalem*.

33 Præſumit ſupra relatus Doctor hanc eſſe mentem expreſſam D. Thomæ, cùm dicat Sanctus eſſe neceſſarium conſenſum implicitum; & ita proſequitur Sanchez. in loco cit. quod clarè videtur ſignificare D. Thomas in 4. diſc.30. quæſt.2. artic.1. quæſt.2. ad 3. his verbis: *Virgo implicitè conſentit in copulam, at copula numquam fuit in propoſito; erat enim à Deo certificata numquam ſubſequi debere. Ecce qualiter ex parte contractus ponit conſenſum implicitum in copulam, non autem ex parte contrahentis, ſed oppoſitum animum*. Quod optimè explicat Suarez. in 3. part. quæſt.29. art.2. ſect.1. ad finem, ubi ait: *In radice, & in cauſa habuiſſe conſenſum in copulam, conſentiendo in Matrimonium, quod de ſe ad eum ordinatur. Et ita intelligi debet D. Auguſtinus, & habetur* cap. *Beata Maria* 27. quæſt.2. *dicens, conſenſiſſe in copulam carnalem*. Hanc intelligentiam impugnat Gonet tom.5. diſp.4. de Conſenſu Matrimonii n.138. fundatus in eo, quod nequit eſſe unus conſenſus ſinè alio; & ſic probat: *Implicitus conſenſus in copulam ex parte contractus matrimonialis, ad eſſentiam, & valorem Matrimonii neceſſarius eſt, ut docent Sanchez, Poncius, Amicus, contra quos diſputamus, ergo requiritur etiam conſenſus, ſaltem implicitus, & remotus in copulam, ex parte contrahentis. Patet conſequentia, quia fieri nequit, ut intentio, ſeu tendentia neceſſaria eſſentialiter ex parte actus, non ſit etiam neceſſaria ex parte agentis, prout illum exercentis*.

34 Si ſupra relatus Doctor præſumit, conſenſum explicitum *in matrimonium* eſſe pariter implicitum radicaliter, & remotè *in copulam carnalem* in eo, qui habuit propoſitum ſervandi perpetuam caſtitatem, hoc à nullo aſſeritur, neque hoc aſſerunt Doctores, quos ipſe impugnat, qui concedunt neceſſarium eſſe ad verum Matrimonium conſenſum in ordine ad ea, quæ ſpectant ad eſſentiam contractus matrimonialis, & hujuſmodi eſt mutua, & reciproca voluntas, ſeu conſenſus ad uſum Matrimonii ordinatus, in quo ſaltem radicaliter continetur conſenſus ad talem uſum; & hoc intelligunt per aſſenſum, ſeu conſenſum implicitum *ex parte Contractus*, ſicuti patet ex verbis ſupra citatis Patris Sanchez. Et hanc eſſe mentem D. Thomæ, conſtat in 4. ſenten-

tia-

tiarum loc. ſup. cit. ubi habet: *Dicendum, quòd copula carnalis cecidit implicitè ſub conſenſum Beatæ Virginis, ſicuti actus ſimpliciter continetur in ſua potentia: potentia autem ad carnalem copulam, non contrariatur Virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipſius, niſi ratione actus, qui quidem numquam fuit in propoſito Beatæ Virginis, ſed erat jam certificata, quòd actus numquam ſequi deberet*. Hanc eamdem Doctrinam aſſignat in ſupplemento 3. part. quæſt.48. art.1. in quo loquitur de conſenſu implicito. *Non enim debet intelligi, ſicuti implicitè continetur effectus in ſua Cauſa; quia poteſtas carnalis copulæ, in quam conſentitur eſt cauſa carnalis copulæ, ſicuti poteſtas utendi re ſua, eſt cauſa uſus*.

35 Conſenſus implicitus *in copulam*, non eſt actus internus, cum quo directè, & immediatè, quis vult; ſed actus, cum quo quis vult immediatè poteſtatem, & dominium *ad copulam*, quæ enim facultas, ſeu poteſtas ſpectat ad eſſentialitatem Contractus Matrimonialis; & ſicuti talis poteſtas non opponitur Virginitati, neque propoſito ſervandi perpetuam caſtitatem, neque ullam infert repugnantiam, ſeu implicantiam idem ſimplex aſſenſus. Innixus his auctoritatibus, & rationibus, quas adducunt Doctores impugnatis à Gonet, ait ubi ſupra n.135. *Itaque juxta D. Thomam, ad contrahendum validè Matrimonium, non eſt neceſſarium, ut Conjuges explicitè conſentiant in copulam, volendo eam exercere, ideſt* ut explicitè conſentiat velle directè uſum matrimonialem, *ſed poſſunt habere contrarium propoſitum, & votum numquam eam exercendi, ſicuti habuit Beata Virgo*. Hoc probatur à Gonet quia *poteſtas ab uſu ſeparari poteſt; & accipi poteſtas ad uſum ſinè voluntate illam exercendi, imò cum expreſſa voluntate contraria*. Totum hoc confirmatur à Gonet in n. 136. cum exemplo fundi, & earum rerum, in quibus diſtinguitur dominium directum à dominio utili, & indirecto, in quibus dari poteſt unum dominium ſinè alio. Rationes iſtæ cum ſua concluſione, quæ ut ait Gonet., deductæ ſunt ex Doctrina D. Thomæ, ſunt totum aſſumptum eorum Doctorum, quos jam ſupra adduximus, qui credunt, ad mentem D Thomæ, ad eſſentiam Matrimonii ſpectare mutuam, & reciprocam traditionem corporum contrahentium, una cum facultate, & dominio directo ſupra eorumdem corpora ad uſum matrimonii; ut cum iſta facultas tradi poteſt, ut impedita in ordine ad uſum, & dominium utile, & directum, tradi poteſt cum propoſito emanato perpetuæ caſtitatis ſervandæ, & oppoſito uſui dominii indirecti. Ex hoc infertur conſenſum implicitum ad uſum Matrimonii non eſſe actum externum, quo quis vult uſum, benè quidem actum internum, quo quis vult poſſe, ſeu poteſtatem, & dominium in ordine ad talem actum. Et ſicuti ſupra relati Doctores hunc actum internum admittunt ad eſſentiam Matrimonii ſpectantem, dant

voluntatem mediatam, & radicalem, quam tamen ſupponunt extitiſſe proximè impeditam in Maria Virgine, ſtante Voto propoſito, & efficaci deſiderio perpetuæ caſtitatis.

36 Hæc intelligentia Doctrinæ D. Thomæ, adeò verior, quàm Juri Canonico videtur conformior; ex quo conſtat, non ſolùm eſſe validum, ſed etiam in aliquo caſu licitum contrahere Matrimonium, cum animo non veniendi ad conſummationem illius. Sic conſtat in cap. *commiſſum de Sponſalibus*; ubi Alexander III. conſilium præſtitit alicui Mulieri, quæ promiſerat Matrimonium contrahere cum aliquo viro, & promiſſione Juramento confirmatâ, quam cùm poſtea ſe promiſiſſe, & juraſſe pœnituiſſet, promiſit ad Religionis ſtatum tranſire, adeunti Pontificis præſentiam, ut ab eo conſilium peteret, dixit ut ob juramenti patrati reverentiam, matrimonium contraheret, & poſt quàm fuiſſet Viro illi deſponſata, ad ſtatum Religionis pertranſiret. Quis diceret Pontificem in tali caſu ſuum præſtitiſſe conſilium ſuprarelatæ Mulieri, ut ipſa invalidum matrimonium contraheret; & illicitum? & ex alia parte aſſerendum eſt hujuſmodi Matrimonium fuiſſe licitum, & validum. Et etiam certum eſt, quod contrahens cum animo tranſeundi poſt contractum Matrimonium ad ſtatum Religionis, non contrahit cum animo conſummandi Matrimonium, ſed cum animo ſe abſtinendi à copula carnali, ut liber remaneat ad ingrediendum in Religionem; igitur non eſt de eſſentia Matrimonii conſenſus implicitus ex parte contrahentis ordinatus ad uſum Matrimonii; & permittitur in Matrimonio actus internus voluntatis cum propoſito in contrarium, quamvis neceſſariò requiratur conſenſus expreſſus, ſeu explicitus in ordine ad dominium, & facultatem ad uſum matrimonialem, quale dominium ſecum fert conſenſum radicalem, & remotum ad talem uſum. Ex uſque modò dictis colligitur noſtrum Venerabilem ſufficientem ſuum præſtitiſſe conſenſum ad valorem, & realitatem duorum Matrimoniorum, eo quia ipſe aſſentitus fuit expreſsè in ordine ad unionem conjugalem, & ad dominium, & facultatem ad uſum cum ordine radicali, & remoto ad eumdem uſum, compoſſibilem cum propoſito permanendi in perpetua virginitate.

37 Hæc reſolutio confirmatur cum alia Doctrina D. Thomæ in 4. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. ad 4. ubi explicans impotentias, & difficultates, quæ evenire poſſunt in ſolutione debiti matrimonialis, quarum aliquæ invalidant contractum Matrimonialem, & aliæ non; ita ait: *Alio modo, quia non ſit ſolvendo de facto, & tamen ſi ſciat ille, cum quo contrahit, hanc impotentiam, & nihilominùs contrahit; oſtenditur, quod alium finem ex contractu quærit; & ideò contractus ſtat; ſi autem neſciat, tunc contractus nullus eſt.* Hoc in loco loquitur D. Thomas de impedimento, quod opponitur ſolutioni actuali debiti matrimonialis,

qua-

quale impedimentum eſt in caſu noſtro, & eſt propoſitum ſervandi perpetuam caſtitatem, quod non opponitur, neque aufert potentiam, ſed negat, & repugnat cum actu exercito, *quia non ſit ſolvendo de facto*. Tale impedimentum, ait invalidare contractum, ſi à quovis contrahentium fuerit ignoratum, minimè tamen invalidare, ſi tale impedimentum fuerit notum eiſdem contrahentibus. Ad hoc Sanctus Doctor concludentem rationem aſſignat, quia ſi vir non ignorat tale impedimentum, & hoc non obſtante contrahit Matrimonium, evidens eſt ipſum in matrimoniali contractu alium finem habere, & ſic Matrimonium eſt validum, & ſubſiſtit: *oſtenditur, quòd alium finem ex contractu quærit, ac ideò contractus ſtat*. Sub iiſdem terminis noſter Venerabilis ſe habuit in ejus Sponſalibus, abſque ullo impedimento *à jure, vel à natura*, & cum propoſito tantùm ſervandi perpetuam Caſtitatem, quod non impediebat potentiam ad ſolvendum debitum matrimonii, ſed tantùm actum, uſum, & exercitium. Tale impedimentum *de non ſolvendo de facto* erat optimè manifeſtum duabus illius Sponſis, quia in quærendo ſibi uxorem ob ſuum Matrimonium, dicebat ipſum quærere talem, cum qua convivere poſſet, *ſi poſſibile foret* in perpetua caſtitate virginali, & unione conjugali ad imitationem Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph. *Sociam ſibi quærere cogitavit, talem quidem, uti dictitabat, cum qua ſi poſſibile foret vivere liceret in caſto, & virginali connubio ad inſtar &c.* Tale igitur propoſitum licèt impediret uſum Matrimonii, non tamen erat impedimentum Sacramenti, neque contractus. Et cum eâdem D. Thomæ ratione convincitur; eò quia cùm tale noſtri Venerabilis Propoſitum, ejus duabus Sponſis fuiſſet manifeſtum, & hoc non obſtante cum ipſo contraxerunt Matrimonium, oſtenderunt ipſas in illo contractu alium habuiſſe finem, diſtinctum ab illo in quem reſpicere ſolet contractus Matrimonialis communiter acceptus, & ſic validus fuit contractus, & verum Sacramentum Matrimonii. *Si tamen ſciat ille, cum quo contrahit, & nihilominus contrahit, oſtenditur, quod alium finem ex contractu quærit, & ideò contractus ſtat*.

38 Finis, in quem noſter Venerabilis reſpexit, fuit ille altus gradus perfectionis, quod deſideravit imitari D. Joſeph in ſua virginali puritate, & ſub matrimoniali jugo vivere, ipſumque ſervare abſque carnis tribulatione, ſicuti ex relationis facto deducitur. Ad hunc eumdem finem reſpexiſſe credimus ambas illius Sponſas, ſcientes noſtrum Venerabilem ad hunc eumdem finem illas voluiſſe eligere, cui intervenire potuit alius finis minoris perfectionis; eſtò fuiſſet decens, & honeſtus, ſicuti eſt ille, quem habent Puellæ modeſtæ, & pauperes, quæ per Matrimonium, non carnalem conjunctionem, ſed convenientiam in tali ſtatu, & unionem animorum, ſibi præfigunt in finem, quod ſufficit,



Digitized by Google

quia forma Matrimonii ſiſtit in quadam indiviſibili conjunctione animorum.

39 Hujuſmodi Matrimonia ſpecialia tendentia ad conſervationem propriæ virginitatis, non reſpiciunt pro fine ſucceſſionem, neque Prolis generationem, neque incontinentiæ remedium, & hic finis, puta remedium incontinentiæ datum fuit Matrimonio in finem, poſt peccatum originale; Et notandum ex Doctrina Patris Sanchez lib.2. de Matrimonio diſp.29. n.2. ubi aſſignat finem, per quem non tantùm valida, verùm & licita redduntur Matrimonia virginalia. Ita ait in ſua prima concluſione: *Quando Matrimonium non contrahitur ratione actus, ſcilicet copulæ conjugalis, tunc licitè contrahitur, quamvis non intendatur ſoboles, nec concupiſcentiæ remedium, ut contigit in Matrimonio Beatæ Virginis. Probatur, quia licet Matrimonii in ordine ad actum ſit finis ſoboles, & remedium concupiſcentiæ; at ſecluſo actu, & ut quidem contractus eſt, finis ejus proximus eſt mutua animarum conjunctio, & ut eſt Sacramentum, finis eſt ipſa conjugum ſanctificatio, ergo dum non intenditur copula, licitum eſt ob alios duos fines contrahere. Præterea quia licitum eſt in aliquo caſu contrahere matrimonium, animo non conſummandi, ut conſtat ex cap. commiſſum de ſponſal. & tamen tunc neuter ex duobus illis prioribus finibus intenditur. Sic Cajet. tom.1. tract. 12. de Matrim. quæſt.3. Unde cautè Petrus de Soto lect.16. de matrim. aſſerens eſſe veniale non intendere ſobolem, addidit: quando celebratur Matrimonium, animo utendi illo*.

40 Hæc Doctrina Magiſtralis, & reſolutiva Patris Sanchez, quam adducit Cardinalis Cajetanus, & Petrus de Soto, eſt deciſiva præſentis caſus, de quo agitur, non tantum in ordine ad valorem, ſeu validitatem, verùm ad legalitatem Matrimonii noſtri Venerabilis. Duos contrahendi Matrimonium modos ſupponit, unum communem, & regulariter acceptum, cum animo exercitii Matrimonialis, puta copulæ carnalis; & finis hujus debet eſſe proles habenda, & carnalis concupiſcentiæ remedium, quod dicitur finis ſuperadditus, & minus principalis. Qui hoc modo Matrimonium contrahit, ſi ſuas non adhibeat diligentias, ut ſucceſſionem aſſequatur, incurrit in peccatum veniale. Ille verò, qui ſpecialiſſimo modo Matrimonium contrahit, nullatenus tendens in finem directum ad uſum matrimonialem, puta ad copulam carnalem, ſed totaliter ab oppoſito, ſcilicet cum animi propoſito, & intentione obſervandi perpetuam caſtitatem, iſte licitè contrahit, eſtò non intendat habere ſucceſſionem, tamquam finem, neque carnalis concupiſcentiæ remedium. Et ſi quis ſcire deſiderat, qualem finem habeat, qui tali modo contrahit! Reſpondit Sanchez, cum Soto, & Cajetano, finem proximum hujus Matrimonii, ſub ratione contractus conſiderati, eſſe mutuam, & reciprocam animorum unionem: *Ut quidem Contra-*

*tra-*

Digitized by Google

*tractus eſt, finis ejus proximus, eſt mutua animorum conjunctio*; hujus verò Matrimonii ſub ratione Sacramenti conſiderati finis ejus proximus eſt gratia ſanctificans, quam per tale Sacramentum aſſequuntur contrahentes. *Ut eſt Sacramentum, finis ejus eſt ipſa conjugum ſanctificatio*. Et ex hoc ſequitur poſteà conſequentia Patris Sanchez in favorem noſtri Venerabilis. *Ergo dum non intenditur copula, licitum eſt ob alios duos fines contrahere*.

41 Eſt pariter obſervandum in his Matrimoniis ſpecialibus, quòd tria bona, ſeu tres boni effectus Matrimonii, & ſunt reciproca Fides, Proles, & Sacramentum ſub duplici modo conſiderari poſſunt, aut in ordine ad obligationem, aut in ordine ad executionem. In ordine ad obligationem, ſupradicta bona, ſeu boni effectus, ſpectant ad eſſentiam cujuſcumque Matrimonii, eo quia talis obligatio reſultat ex Matrimonii contractu, & ex principiis eſſentialibus ad Matrimonium ſpectantibus. Sic expresſè docet D. Thomas in 4. diſt.31. quæſt. 1. art. 3. in corp. ubi ait: *Fides, & Proles, ſecundùm quod conſiderantur in ſuis principiis, ut pro Prole accipiatur intentio Prolis; & pro Fide, debitum ſervandi fidem, ſine quibus Matrimonium eſſe non poteſt; & ſic accipiendo Fidem, & Prolem, ſunt eſſentialiſſima in Matrimonio*. Et tamen hæc eadem bona, in ordine ad ſucceſſionem ſunt de eſſentia Matrimonii, quod poteſt etiam ſinè illis ſubſiſtere. Ita docet D. Thomas, & eſt etiam doctrina D. Bonaventuræ, ibi: *Sinè bono Sacramenti, nunquam eſſe Matrimonium*; ut poteſt eſſe ſinè fide, & prole. (Et hoc intelligendum eſt in ordine ad executionem) *non tamen eſt Matrimonium, ſi in conſenſu exprimeretur aliquid in contrarium fidei, & proli*. Hæc obſervatio in contextu D. Thomæ, eſt pariter Patris Sanchez loco ſup. cit. n. 12. ex quo infert, quod ſi intentio contraria in ordine ad prolem eſt ſimplex intentio, abſque eo quod reducatur ad pactum explicitum, non invalidat Matrimonium, quia in ſuis principiis non opponitur cum obligatione hujus boni, quæ obligatio eſt eſſentialis ad validitatem contractus matrimonialis: *Fides, & proles, ſecundùm quod conſiderantur in ſuis principiis, ſunt eſſentialiſſima in Matrimonio*. Simplex intentio abſtinendi ſe ab uſu matrimoniali, tantùm opponitur bono prolis in ordine ad executionem, & cùm hæc non ſit eſſentialis, neque neceſſaria ad validitatem Matrimonii, ſimplex intentio habita obſervandi continentiam, non invalidat, neque irritum reddit contractum. Nihilominus ſi hæc ſimplex intentio reduceretur ad pactum expreſſum, ſeu explicitum in contrahendo Matrimonium, in tali caſu, procul dubio, contractus redderetur invalidus, quia in tali caſu pactum expreſſum, ſeu explicitum opponeretur expresſè bono prolis, non tantùm in intentione, ſed etiam in ordine ad obligationem, & hoc modo deſtrueretur pars, ſeu res eſſentialior Matrimonii. Suarez ubi ſupra, &c. 42 In

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

42 In caſu noſtræ conſultationis, Venerabilis non contraxit Matrimonium, ſpondendo rem aliquam in contrarium, ſeu oppoſitam ſucceſſioni, aut alteri bono ſtatus Matrimonii; ac ideo illius intentio permauendi in ſtatu perpetuæ puritatis in ſtatu Matrimonii, non fuit deſtructiva alicujus rei eſſentialis ad valorem Matrimonii. Illius deſiderium manifeſtatum in occaſione quærendi ſibi Sponſam, fuit ſimplex intentio ſervandi perpetuam caſtitatem, ſi ei poſſibile fuiſſet. Talis intentio tantùm opponitur actui executivo, qui non eſt eſſentialis, neque neceſſarius ad valorem Matrimonii, & relinquit contractam obligationem in ſuis principiis, quæ obligatio verè eſt eſſentialis, ut ait D. Thomas. Ultra quamquod in eadem conditionali; *Si poſſibile foret*, includitur tacita confeſſio obligationum, quas noſter Venerabilis contrahebat per Matrimonium; & totum illius deſiderium, & intentio tantùm procedebat contra executionem finis, & boni matrimonialis contractus. Notandum eſt etiam quod eſtò in cap. final. de condit. oppoſit. Ubi declarantur, & deciduntur conditiones invalidantes Matrimonium, omnes illæ ibi nominatæ ſunt turpes, & illicitæ, & quamvis ſit communis ſententia, quod quæcumque conditio licet honeſta, ſi contraria, aut oppoſita fuerit bono, aut fini ſucceſſionis, vitiat Matrimonium. Sanchez lib. 6. de conſenſ. conditionat. diſp. 10. n. 2. In caſu noſtræ conſultationis nulla interfuit conditio oppoſita fini ſucceſſionis, ſicuti in ſimili caſu advertit P. Sanchez num. 7. loquendo de Matrimonio Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph; quia ambo verè, & abſolutè conſenſierunt in reciproca facultate, & poteſtate, quæ ad invicem ſibi dantur contrahentes, eſtò ambo firmum propoſitum haberent obſervandi caſtitatem perpetuam; quia cùm ſit abſolutus conſenſus in reciproca traditione corporum, nulla interfuit conditio oppoſita fini ſucceſſionis, & ſolummodò adſuit ſimplex intentio contraria, aut oppoſita fini, aut bono prolis, in ordine ad executionem, quæ neque eſſentialis, neque neceſſaria dicitur ad valorem Matrimonii. Hoc idem fuit effectum in Matrimoniis noſtri Venerabilis, & ideo in ipſis nil fuit inventum repugnans, & invalidans illa.

43 Hæc reſolutio uſque modò adducta cum doctrina D. Thomæ, eſt adeò reſolutiva in illa Sancti Patris noſtri Auguſtini, ut P. Vaſquez in citatione Textuum, ſuperfluum judicat ſcribere verba illius; hoc non obſtante nonnulla adducentur, ut ex illis inferre poſſimus rationes concludentes. In lib. 23. contra Fauſtum cap. 8. loquendo de Matrimonio Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph ita ait: *neque enim quia concubitu non permixtus, ideo non Maritus*; & aſſignat S. Doct. rationem. *Ut & Joſeph Maritus diceretur, lubens eam Conjugem non concubitu, ſed affectu; non commixtione corporum, ſed copulatione, quod eſt charius animorum confœderatione, quamvis ei non fuerit carne commixtus.*

44 Ei-

44 Eſſentia, & principalis perfectio Matrimonii conſiſtit in diverſitate ſexuum, & indiſſolubili animorum unione; ſeſe invicem, & mutuò obligantes ad mutuam, & reciprocam fidelitatem ſervandam. Sic vidimus in D.Thoma, à quo probatur auctoritate ſequenti Sancti Patris noſtri Auguſtini lib. 5. de Nup. & Concup. cap. 11. *Conjux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cognoſciturus*. Et ibi loquendo de Matrimonio Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph, etiam ait de illis duobus noſtri Venerabilis cum duabus ſuis Sponſis: *Abſit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imò firmius erit, quo magis ea pacta ſecum inierint, quæ charius, concordiuſque ſervanda ſunt, non voluptariis corporum nexibus, ſed voluntariis animorum affectibus*. In caſu noſtro adfuit animorum unio cum ſexus diverſitate inter Venerabilem, & ſuas Sponſas, cum mutua, & reciproca obligatione ad ſecundam fidelitatem, ergo unum, & alterum Matrimonium fuit verum, & validum, eo magis firmum, & indiſſolubile, quo purius: *Imò firmius erit non voluptariis corporum nexibus, ſed voluntariis animorum affectibus*.

45 Et quamvis huic Matrimonio defuerit uſus, & ſeu copula carnalis, & propoſitum ea utendi, non propterea Matrimonium fuit invalidum, quia unio, & copula carnalis conjugatorum in ordine ad uſum, aut executionem illius, non eſt de eſſentia contractus; neque bonum, neque carnalis unionis finis adeò æſtimatione dignus reputandus eſt, ut Catholici ſinè ipſo judicare debeant Matrimonium ſubſiſtere non poſſe; imò majoris perfectionis ſine ſupradicto fine illud debent reputare; eò quia ſtrictiori vinculo cum Chriſto unit conjugatos vinculum animorum, quàm copula carnalis, & magis conſimiles illos reddit Chriſti Parentibus. Hæc ſunt verba D. Auguſtini, quæ ſcripta videntur ad noſtri caſus favorabilem deciſionem. Ita ait loco ſup. cit. contra Fauſtum: *Et nè homines fideles Chriſti, quod ſibi Conjuges carne miſcentur, tam magnum in conjugio deputarent, ut ſinè hoc eſſe non poſſe crederent, ſed potiùs dicerent fidelia conjugia, multò familiariùs ſe adhærere membris Chriſti, quantò potuiſſent imitari Parentes Chriſti*. Noſter Venerabilis in utroque Matrimonio Chriſti Parentes fuit imitatus, non ſolùm poſtquam contraxiſſet, ſed antequàm ea Matrimonia contraheret, & in ipſo contractionis actu cum propoſito ſervandi perpetuam caſtitatem; ideoque unum, & alterum Matrimonium, non tantùm reputandum eſt validum, ſed perfectiſſimum; cùm in utroque imitatus fuerit Matrimonium à Chriſti Parentibus contractum.

46 Eamdem Doctrinam tradit D. Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 1. ubi inter Conjugatos duas uniones diſtinguens, quarum una, quæ principalior reputatur, & hæc eſt unio animorum, ob de-

debitum obſequium, & mutuam fidelitatem inter eos ſervandam; & altera eſt corporum ad generationem prolis directa; & ait primam poſſe ſinè ſecunda ſubſiſtere, & illam ſufficere ad valorem, & perfectionem Matrimonii; eò quia ſecunda neque eſſentialis, neque principalis reputatur, bene verò ſubſequens, & ecce verba Sancti Doctoris: *Conſequens ergo eſt connexio ſocietatis in filiis, qui unus honeſtus fructus eſt, non conjunctionis maris, & fœminæ, ſed concubitus: Poterat enim eſſe in utroque ſexu etiam ſine tali commixtione, alterius obſequentis, amicabilis quædam, & germana conjunctio*. Notandum eſt *bonum prolis* D. Auguſtinus non ait eſſe effectum principalem unionis conjugatorum, ſed fructum unionis carnalis, quæ quidem unio, non eſt principalis, & eſſentialis Matrimonii, bene verò ſecundaria, & ſubſequens ad ipſum: *Unus honeſtus fructus eſt, non conjunctionis, ſed concubitus*. Notandum eſt etiam in laudem noſtri Venerabilis D. Auguſtinum non aſſerere *de facto* fuiſſe unionem unam, ſinè alia, ſed unam eſſe poſſe ſinè alia. Et Matrimonia in caſu noſtro ſunt admirabilis exempli, & ad actum practicum redacta circa id, quod à Divo Auguſtino poſſibile reputatur. *Poterat enim eſſe in utroque ſexu, etiam ſine tali commixtione alterius obſequentis, amicabilis quædam, & germana conjunctio*.

47 Probat Sanctus hanc ſententiam in cap. 3. ejuſdem lib. duabus rationibus, una, quæ provenit à fine principali, ob quem Matrimonium fuit inſtitutum, qui non fuit ſolummodo *bonum prolis*, ſed indiviſibilis animorum unio in ſexibus differentibus; & altera eſt *ab inconvenienti*; eo quia ſi finis unicus, & principalis eſſet ſucceſſio, nec ad ſenectam ætatem perventi validum poſſent contrahere Matrimonium, neque ſubſiſteret contractum inter ipſos; unde ita ait: *Quod mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem; ſed propter ipſam etiam in diverſo ſexu naturalem] ſocietatem, alioquin non jam diceretur conjugium in ſenibus, præſertim, ſi vel amiſiſſent filios, vel minimè genuiſſent; Nunc verò in bono, licèt annoſo conjugio; etſi emarcuit ardor ætatis inter maſculum, & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter Maritum, & Uxorem, quia quantò meliora ſunt, tantò maturius à commixtione carnis pari conſenſu ſe continere cœperunt, non ut neceſſitatis eſſet, poſteà non poſſe quod vellent, ſed ut laudis eſſet, primum noluiſſe quod poſſent*. Magiſter Baſilius Ponc. lib. 7. de Matrim. cap. 56. diffuſiſſimè defendit validum eſſe Matrimonium contractum inter duos impotentes ad generationem, dum impotentia talis ſit notoria, una ſemel quod contractum ſit cum intentione ad caſtè vivendum; & hoc probat in cap. 58. adducendo diverſos textus Juris Canonici multominus opponitur valori, & legitimitati Matrimonii impotentia voluntaria exorta à libero propoſito, & determinatione facta

vi-

vivendi in caſtitate, quàm opponitur impotentia exorta à natura; & ſecundùm opinionem D. Auguſtini reddit Matrimonium magis laudabile. Igitur Matrimonium, de quo agitur in præſenti caſu, non ſolùm fuit validum, verùm & valdè commendabile, juxta illud: *tantò maturius à commixtione carnis ſe continere cœperunt, non ut neceſſitatis eſſet, poſteà non poſſe quod vellent, ſed ut laudis eſſet primum noluiſſe quod poſſent.* In hac tota Doctrina D. Auguſtinus tantùm excludit copulam, aut communicationem carnalem in ordine ad executionem, quia hoc modo opponitur Virginali puritati, cum qua B. Virgo deſponſata fuit, cujus Matrimonium defendit fuiſſe validum, ac legitimum; & quemadmodum potentia, & libertas ad utendum, & exequendum hanc unionem, ſeu communicationem non opponitur puritati Virginali, neque hanc virtutem diminuit, ſicuti cum D.Thoma jam vidimus, ideò à D. Auguſtino non excluditur; imo è contra, eam admittit, & ſupponit, ut hanc virtutem magis reddat commendabilem, *ut laudis primum noluiſſe, quod poſſent.*

48 Hanc pariter ſententiam ſequitur Ugo Victorinus, adeò conformis, & adjectus erga Sancti Doctoris doctrinam, ut in eo ſæculo, quo vixerat nuncupatus fuit lingua D. Auguſtini, & juxta P. Suarez obſervationem, ſuper hanc materiam, eum ſecuti ſunt D. Thomas, Albertus Magnus, & alii Doctores Scholaſtici. In lib. Virginitatis Beatiſſimæ Virginis, ita ſuam quæſtionem introducit: *Diſcutiamus, ut poſtulas, quid ſit conjugium, & ex ipſius diffinitione propoſita conſideremus, ſi ſimul eſſe potuerint in Virgine Matre, & conſenſus Conjugalis, & propoſitum virginitatis.* Eamdem quæſtionem continet noſtra præſens conſultatio, in qua quæritur, quomodò ſubſiſtere potuerit noſtri Venerabilis Matrimonium, cum propoſito perpetuam caſtitatem ſervandi.

49 Ad hanc quæſtionem ſic reſpondet: *Quid enim eſt conjugium, niſi legitima ſocietas inter virum, & fœminam: in qua videlicèt ſocietate ex pari conſenſu uterque ſemetipſum debet alteri. Spontaneus ergo conſenſus inter virum, & fœminam legitimè convictos facit, quo uterque alteri debitorem ſui ſe ſpondet: Iſte eſt qui conjugium facit: & conjugium eſt ipſa ſocietas tali conſenſu confœderata, quæ altero vivente, alterum ab altero non diſſolvit.* Totum hoc, quod eſt unio indiſſolubilis animorum, cum reciproca obligatione obſervandi ad invicem mutuam fidelitatem, ad eſſentiam Matrimonii ſpectat; cujus cauſa efficiens eſt mutuus conſenſus ad hunc effectum datus. *Spontaneus ergo conſenſus, &c. Iſte eſt, qui conjugium facit: Et conjugium eſt ipſa ſocietas, &c.*

50 Proſequitur Ugo Victorinus, & ait: *Eſt adhuc alius conſenſus, ſed carnalis commercii ad invicem exigendi, atque reddendi ſimilem inter*

*Virum, & Mulierem, actionem conſtituens; Comes non effector conjugii; officium, & non vinculum, qui & ipſe tamen cum pari etiam neceſſe eſt debito teneatur.* Hic explicat ſecundum conſenſum duorum Matrimoniorum regulariter acceptiorum, qualis eſt conſenſus implicitus, aut expreſſus in ordine ad exercitium, & uſum conjugalem, & obſervat hunc conſenſum non eſſe illius defectum, neque fieri *Comes*, neque conjugii *effectorem*, bene verò eſſe officium, & uſum conjugatorum, nequaquam verò ligamen eos uniens ad contractum, aut Sacramentum, *officium eſt non vinculum*. Eſt etiam hìc notandum conſenſum implicitum in copulam, quem D. Thomas dicit eſſe eſſentialem, non eſſe velle carnale commercium, ſed ſolùm velle dominium, & poteſtatem, ut ſupra dictum eſt. Hoc in loco Ugo à Sancto Victore loquitur de conſenſu, quo quis vult carnale commercium, & hic eſt ille conſenſus, quem D. Thomas vocat explicitum *in copulam* qui non eſt de neceſſitate, neque de eſſentia ad valorem contractus matrimonialis, ſicut docet D. Thomas, atque hìc expreſsè docet Ugo Victorinus.

51 Sunt notativè digna verba ſequentia, cum quibus loquens de commercio carnali, ita ait: *Hujus debiti neceſſitas illos conjugatos ſibi ad invicem non ſubjicit, in quibus, dum conjugium contraheretur, vel ſanciretur, hujus operis conſenſus non præceſſit.* Hinc ſupponens validum Matrimonium contractum ſinè conſenſu expreſſo, aut implicito immediato ad commercium carnale, ait, quod lex, aut obligatio ſolvendi tale debitum, non comprehendit illos, qui ſub hac forma Matrimonium contraxerunt. Ratio clarè patet juxta dictum D. Thomæ, & Sanchez, quia iſti Conjugati in eorum contractu noluerunt uſum conjugalem, bene verò potentiam, facultatem, & dominium, quod ſpectat ad eſſentiam, & valorem Matrimonii, & talis poteſtas, ſeu dominium non eſt incompoſſibile cum propoſito ſervandi perpetuam caſtitatem. Igitur vi talis contractus non remanent adſtricti ad uſum actualem, ſed ſolùm ad conſervandam mutuam, & reciprocam facultatem, ſeu dominium, quod ſtabilitur, & firmatur in primo conſenſu, & reciproca unione animorum, aut in voluntate indiſſolubilis. Concludit tandem Ugo, oſtendens hoc Virginale Matrimonium eſſe validum, & perfectum, & ait. *Nec tamen hoc officio ceſſante, veritatem, ſeu virtutem conjugii ceſſare credendum eſt; immò potius tanto verius, ac ſanctius conjugium eſſe, quod in ſolo charitatis vinculo, & non in concupiſcentiæ carnis libidine fundatum eſt.* Hæc tota auctoritas Ugonis Victorini eſt clara explicatio, & confirmatio doctrinæ D. Auguſtini, & ſicuti per ipſam deciditur in favorem Matrimonii celebrati cum propoſito obſervandi perpetuam caſtitatem; ita pariformiter eſt clara deciſio in favorem noſtræ præſentis conſultationis.



Digitized by Google

52 Ex hoc adducuntur rationes ſuadentes præſentis reſolutionis in favorem noſtri Venerabilis. Una ex iſtis, ea ſit, ſub qua multæ aliæ comprehenſæ reperiuntur, probantes Matrimonii valorem per ſuas cauſas, ſcilicet formalem, efficientem, & finalem. Cauſa *formalis* Matrimonii, juxta mentem Divi Auguſtini D. Thomæ, & aliorum Doctorum, eſt indiſſolubilis animorum unio, ob quam cauſam Contrahentes ſe obligarunt ad obſervandum inter ipſos mutuam, & reciprocam fidelitatem: *Forma Matrimonii conſiſtit in quadam indiſſolubili conjunctione animorum, per quam unus Conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur*. In Matrimoniis noſtri Venerabilis, adfuit unio indiſſolubilis animorum, per quam ſe obligarunt ad obſervandam ad invicem mutuam, & reciprocam fidem, ſeu fidelitatem, igitur attenta cauſa formali Matrimonii, illud fuit validum, & legitimum. Hæc ratio confirmatur ex definitione Matrimonii, quam aſſignat ſententiarum Magiſter in 4. diſt. 27. *Matrimonium eſt Viri, Mulieriſque conjunctio maritalis inter legitimas perſonas vitam indiſſolubilem retinens*. Quæ definitio concordat cum illa, quæ aſſignatur in jure Canonico 22. quæſt. 2. ubi ait: *Matrimonium eſt conjunctio maris, & fœminæ inter perſonas legitimas, individuam vitæ conſuetudinem retinens*: Et à jure Civili definitur eodem modo: *Viri, & Mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens*. Inſtit. de patria poteſt. §. *nuptiæ*. In quibus definitionibus explicantibus eſſentiam Matrimonii, ejuſque cauſam formalem, nulla fit mentio unionis carnalis conjugatorum. Et ſuum verum, & legitimum ſenſum explicans D. Auguſtinus, & D. Thomas, intelligitur de unione animorum. Si igitur negari non poteſt hanc interveniſſe unionem in duobus Matrimoniis noſtri Venerabilis, ſignum evidens eſt in eis interfuiſſe cauſam formalem, & Matrimonii eſſentiam. Nec obſtat, quod aſſeritur à Magiſtro ſententiarum in prima definitione eſſe de eſſentia Matrimonii unionem matrimonialem, ſeu conjugalem: *Conjunctio matrimonialis*, in qua videtur ipſum ponere diſtinctionem inter unionem, quæ admitti poteſt inter duos fratres, ex hoc quod unio matrimonialis eſt in ordine ad unionem carnalem, quæ eſſe non poteſt inter duos fratres. Non, inquam, obſtat, quia ſecundùm communem Doctorum explicationem, unio conjugatorum, quæ maritalis, ſeu matrimonialis dicitur, habet rationem contractus, in quo fit reciproca, & mutua traditio corporum contrahentium, cum ordine radicali directo ad uſum ipſorum corporum, & ad unionem carnalem, quæ exerceri non poteſt inter fratres. Ultraquam quod, ſicuti viſum eſt cum D. Thoma in 4. diſt. 31. q. 1. art. 3. Bonum ſucceſſionis in ſuo principio conſideratum, eſt de eſſentia Matrimonii, & hoc intelligitur per unionem conjugalem. Hæc eſt unio animorum, cum

facultate, & dominio ſuper corpora Conjugatorum, quæ non poteſt eſſe inter fratres. Ordo iſte radicalis ad ſucceſſionem, & poteſtas, & dominium ſuper corpus utriuſque ſponte fuit acquiſitus à noſtro Venerabili, quando ille contraxit Matrimonium cum propoſito conditionato obſervandi perpetuam caſtitatem, *ſi poſſibile foret*, & ſub hac eadem conditione exprimitur poteſtas, & ordo radicalis, cum quo fecit licitum eſſe uſum Matrimonii, in eventu, quo ei fuiſſet impoſſibile obſervandi caſtitatis propoſitum.

53 Cauſa *efficiens* vinculi Matrimonialis non eſt conſenſus expreſſus copulæ carnalis, neque internus actus voluntatis, qui immediate requirat, non ſolum potentiam, ſed etiam uſum matrimonialem; quia licèt iſte conſenſus conſociet Matrimonium, non tamen eſt cauſa ligaminis. *Comes, non effector conjugii*, ut ait Ugo Victorinus ille mutuus, & reciprocus conſenſus, cum quo Contrahentes volunt uniri in animis unione indiſſolubili, mutuoque & reciproco dominio, e facultate, & poteſtate ſupra eorum corpora, hæc eſt cauſa efficiens Matrimonii. *Iſte eſt, qui conjugium facit*. In noſtro caſu evenit reciprocus, & mutuus conſenſus Contrahentium in ordine ad unionem perpetuam, & indiſſolubilem animorum, unà cum mutua, & reciproca traditione dominii ſuper eorum còrpora, igitur in utroque Matrimonio fuit etiam vera, & legitima cauſa efficiens illius. Et obſervandum eſt cum Mag. Ponz. lib. 1. cap. 18. n. 18., quod in Matrimoniis communiter acceptis, conſenſus Contrahentium videtur quod ſit unus tantùm, ſed re vera ſunt duo, eò quia aſſentiuntur unione conjugali, quæ ſecundùm D. Thomam, & D. Auguſtinum, eſt unio animorum, ad effectum vivendi in bona ſocietate inter duas perſonas diverſi ſexus, & etiam præbent aſſenſum expreſſum, & immediatum in ordine ad unionem carnalem, ſeu corporalem, ad effectum aſſequendi finem, & bonum ſucceſſionis. Iſti ſunt duo conſenſus realiter diſtincti in ſuis objectis, & in ſuis finibus; & primus eſt ratio cauſalis, & cauſa ſecundi; ita quod dari non poſſit aſſenſus licitus ob finem ſucceſſionis, non præcedente aſſenſu in ordine ad unionem animorum conjugalem. Hæc prima unio eſt eſſentialis, & indiſſolubilis; ſecunda eſt frequens, ſed impediri poteſt, aut evitari, ſicuti impedita in Matrimonio Beatiſſimæ Virginis, ad cujus imitationem etiam in Matrimoniis noſtri Venerabilis, in quibus interfuit primus conſenſus, ſupra explicatus, qui eſt cauſa efficiens legitimi Matrimonii.

54 Cauſa *finalis* Matrimonii, quæ ſecundùm opinionem multorum eſt deſiderium ſucceſſionis, ſeu prolis, ſed ad mentem D. Auguſtini hic dicitur finis minus principalis; Docet enim Sanctus Doctor, quod neque in Matrimoniis communiter acceptis, ſucceſſio prolis, dicitur finis unicus Matrimonii, bene verò deſiderium vivendi in ſocietatem

cum

cum unione animorum inter perſonas diverſi, & differentis ſexus; *Quod mihi non videtur propter ſolam filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem*. Finis iſta vivendi in naturalem ſocietatem, & mutuo ſe coadjuvandi ad humanam vitam, fuit à Deo expreſſus in creatione Evæ, ut eam daret in uxorem Adæ. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*. Gen.2. Et ipſi Gentiles hanc veritatem cognoverunt. Quintilianus in Declamat. 368. ita ait: *Matrimonia ſunt ab ipſa rerum natura inventa; Sic mares fœminis junguntur; ut imbecillior ſexus præſidium mutua ſocietate ſortiatur*. Et videatur Baſilius in loc.cit.n.17. Duo Matrimonia noſtri Venerabilis non fuerunt intenta ad finem, in quem reſpicere ſolent Matrimonia communia, bene verò intenta fuerunt in illum finem principalem, quem expreſſit Dominus Deus conjugando hominem, quærendo adjutorium, & ſocietatem in ſuis Sponſis, & ipſæ in eo invenerunt protectionem, & patrocinium, quo indigebant, quove ordinariè indiget ſexus imbellis, & fragilis fœmineus, qui ſexus ſinè tali ſocietate manifeſtus extat expoſitus periculis. Obſervetur pariter doctrina ſupra aſſignata D. Thomæ, & Sanchez in lib. 2. de Matrim. diſp. 29. n. 20. ubi ait; quod quando Matrimonium non contrahitur propter finem, & rationis actus matrimonialis, ut evenit in duobus Matrimoniis noſtri Venerabilis quæ fuerunt ambo Virginalia, in eo caſu finis eorum non eſt ſucceſſio prolis, ſed mutua, & reciproca unio animorum, & in ordine ad Sacramentum conſiderata, eorum finis eſt contrahentium ſanctificatio: *Ut quidem contractus eſt, finis ejus proximus eſt mutua animorum conjunctio: & ut eſt Sacramentum finis eſt ipſa conjugum ſanctificatio*. Huiuſmodi fuerunt Matrimonia à noſtro Venerabili contracta, non ob cauſam matrimonialis uſus, ſed cum propoſito perpetuæ caſtitatis; Eorum igitur cauſa finalis non fuit bonum prolis, ſed indiſſolubilis animorum unio, & utriuſque contrahentis ſanctificatio; quæ cauſa finalis, juxta mentem Sanchez reddit Matrimonium licitum, validum, atque legitimum: *Dum non intenditur copula, licitum eſt ob alios fines contrahere*.

55 Confirmatur per aliam rationem, qua in hac materia communiter utuntur Doctores. In rebus, quæ uſu non conſumuntur, uſus diſtinguitur à dominio, & unum, & aliud ex ipſis eſt materia ſufficiens in Contractu. Conſtat ex utroque jure tum Civili, tum Canonico ubi diſtinguitur Dominium directum, & Dominio proprietatis à Dominio utili, & indirecto, quod ſpectat ad uſufructum. In corporibus contrahentium hæc duo Dominia eſſe poſſunt, & ad validitatem Matrimonii, conſiderati ſub ratione Contractus, ſufficit, quod Maritus obtineat dominium directum, ſecundum Text. D. Pauli ad Corinth. 6. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed Vir; Similiter*

Digitized by Google

*ter & Vir &c.* Hanc rationem, quam Vaſquez, Baſilius, Suarez, & alii Doctores dicunt eſſe efficacem, fatentur eſſe imperceptibilem, eò quia eis videtur dari non poſſe dominium directum ſupra corpora, abſque eo quod nullus ſubſequatur effectus, & iſte tantùm poteſt eſſe in ordine ad uſum matrimonialem; Propter quod, ſi in traditione hujus dominii traderetur impeditum cum voto, aut efficaci propoſito ſervandi perpetuam caſtitatem, in tali caſu Contractus eſſet nullus, quia nullius valoris eſſet traditio facta talis dominii abſque ullo effectu habendo.

56 Reſpondet P. Suarez 3. part. quæſtion. 29. diſp. 7. ſect. 1. quod etiam dato, quod tale dominium corporum tradatur cum impedimento in ordine ad uſum, ſuo tamen debito non caret effectu, ideoque Contractus eſt legitimus. In primis ejus effectus eſt inhabilitare conſortem ad aliud Matrimonium contrahendum. Alius effectus eſt, quod in eventu ſi operaretur contra Votum, aut propoſitum, non operaretur contra juſtitiam, ſed ſolùm contra Voti religionem, & contra perſeverantiam propoſiti facti. Et pariter in iſto caſu nullus Conjugatorum reus eſſet crimine fornicationis, aut alio reatu ſimili. Omnes iſtos effectus cauſare poteſt Contractus matrimonialis factus cum mutua, & reciproca traditione Corporum, eſtò remaneat impeditus uſus, & dominum utile, & indirectum; Sunt ergo diviſibilia duo dominia; & dominium directum ſufficiens eſt ad valorem contractus. Talis fuit Contractus Beatiſſimæ Virginis cum D. Joſeph juxtà communem Doctorum opinionem, & ad illius imitationem fuit pariter noſtri Venerabilis Contractus in ejus duobus repetitis Matrimoniis.

57 Ex uſque modò dictis, deducitur reſolutio Argumentorum, quæ in principio fuerunt propoſita in favorem contrariæ ſententiæ. Ad primum reſpondetur, tale argumentum falſo laborare ſuppoſito; Supponit enim Matrimonium inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph non fuiſſe verum Matrimonium, omnes enim Doctores Moderni uniformiter cum D. Thoma docent in contrarium 3. part. quæſt. 29. art. 2., nec non Antiqui, ſimul cum Mag. Sentent. in 4. diſt. 30., & eſt omnium Theologorum communis opinio, excepto Michaele de Medina, ut obſervat Vaſquez in 3. part. diſp. 125. n. 22. Et quamvis aliqui dicant Sententiam affirmativam in ordine ad validitatem hujus Matrimonii eſſe de fide tenendam, & contrariam manifeſtè erroneam; hoc tamen non obſtante, cum nihil in hoc puncto ſit ab Eccleſia definitum, neque ſuper hanc veritatem habeatur Sanctorum Patrum firma, & conſtans traditio, dici non poteſt, quod ſit Dogma de fide tenendum. Sententia tamen contraria aliqua cenſura digna reputatur, neque defendi poteſt, abſque temeritatis nota, cùm opponatur communi opinioni, & judicio Sanctorum Patrum, & Doctorum. Et ad id, quod in Argumen-

mento adducitur aliquos Sanctos indicare D. Joſeph non fuiſſe verum Beatiſſimæ Virginis Maritum, neque rigoroſum Matrimonium fuiſſe ab eo contractum; reſpondit D. Thomas in duobus verbis, explicans mentem in qua ſunt intelligendi ſupradicti Sancti Patres. Negant enim ipſi in Beatiſſima Virgine, & D. Joſeph fuiſſe Matrimonium conſummatum,& omne id, quod importat exercitium matrimonialis actus; & hoc eſt veriſſimum, imo de fide tenendum. Verba D. Thomæ ſunt ſequentia: *Ad primum dicendum, quod D. Hieronymus accipit ibi Matrimonium ab actu Matrimonii conſummati. Ad ſecundum dicendum, quod Nuptias Hieronymus vocat nuptialem concubitum* Hæc eadem nomina, quæ negant Sancti Patres, velut exprimentia unionem carnalem conjuges, ſi intelligantur de ſola animorum unione, quæ eſt eſſentialis ad valorem Matrimonii applicari poſſunt Matrimonio inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph contracto, & realiter ſub hoc ſenſu ſunt à D. Auguſtino applicata, ſicuti apparet ab Auctoritatibus adductis. Videatur P. Vaſquez in loco citato, ubi diffusè diſputat ſuper mentem Sanctorum Patrum,quos omnes oſtendit concordes, eſtò alios cum aliqua minori claritate in ordine ad communem ſententiam circa valorem, & realitatem Matrimonii Beatiſſimæ Virginis. Ex hoc infertur validitas, & certitudo Matrimonii, hujus noſtræ præſentis Conſultationis, quod fuit à noſtro Venerabili contractum ad imitationem Matrimonii contracti inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph.

58 Ad ſecundum fundamentum reſpondetur, quod in illa verba D. Auguſtini contra Fauſtum, dicere non præſumit Sanctus Doctor, quod omne Matrimonium contrahi debeat cum animo legitimæ ſucceſſionis habendæ. Id quod Sanctus Doctor dat intelligendum, eſt ſolummodò reprobare omne genus unionis carnalis, quod legitimi Matrimonii non ſit; & ideo ait hujuſmodi unionem in Mulieribus fieri deberet non ad finem explendæ concupiſcentiæ, ſed ſolummodò, ut fiant Matres legitimæ. Hæc doctrina, quæ tantùm procedit in ordine ad Matrimonia communiter accepta, non opponitur Matrimoniis ſpecialibus, & de quibus agit præſens noſtra Conſultatio, quæ ſicuti viſum eſt, habet in ſui favorem mentem expreſſam Sancti Patris noſtri Auguſtini.

59 Ad tertium fundamentum reſpondetur veriſſimum eſſe, quamcumque conditionem oppoſitam ſubſtantiæ, & fini primario, & principali Matrimonii, illud invalidare, & nullum reddere; negamus tamen propoſitum obſervandi perpetuam caſtitatem opponi ſubſtantiæ, & primario fini Matrimonii, ſicuti diffusè probatur à P. Vaſquez loco ſupra cit. à n. 60. uſque ad n. 71. Et ſupponens, quod ad eſſentiam Matrimonii ſpectet mutua, & reciproca corporum traditio, & ordinis radicalis ad ſucceſſionem, quæcumque conditio ſupradictæ tra-

di-

ditioni oppoſita, utique ſecunda erit contraria, & oppoſita ſubſtantiæ Matrimonii; At conditio ſe abſtinendi à quocumque conjugali actu poteſt eſſe duplicis generis, una ob devotionem, & ob propoſitum voluntarium contrahentium; & hæc non opponitur cum directo dominio, & cum traditione corporum, eò quia ſolùm impedit dominium utile, & indirectum, ſicuti ſupra probatum eſt. Nullatenus, ſi conditio ſe abſtinendi ab unione carnali eſt poſita cum ſuppoſitione, quod dicta unio futura ſit contraria juſtitiæ, & erit uſus rei alienæ, talis conditio ita conſiderata, opponitur dominio directo, & mutuæ traditioni corporum contrahentium, & conſequenter erit conditio oppoſita ſubſtantiæ, & fini Matrimonii.

60 In hoc ſenſu loquitur D. Thomas in 4. diſt. 28. quæſt. unica art. 4. ad 3. & diſt.30. quæſt.2. art. 1. quæſt.2. ad 1. & 2. Sanctus Bonaventura, Riccardus, & alii; & ſicuti obſervat P. Vaſquez, ob cauſam non diſcernendi tali modo hanc conditionem, oppoſitam ſententiam tenuerunt Adrianus, Sotus, Capreolus, Covarruvias. In præſenti caſu hujus Conſultationis, adſuit propoſitum perpetuæ caſtitatis, ſi hujus obſervantia fuiſſet proponenti poſſibilis; Ergo in eo adfuit propoſitum implicitum deveniendi ad uſum Matrimonii, in eventu, quo ei non fuiſſet poſſibilis obſervantia emanati propoſiti caſtitatis ſervandæ. Igitur in eo contractu fuit propoſitum, quod non ſolùm deſtruebat, ſed ſupponebat, & confirmabat mutuam, & reciprocam traditionem corporum Contrahentium, quæ reciproca, & mutua traditio eſt neceſſaria, & eſſentialis ad valorem contractus. Ultraquàm quod, ſicuti remanet probatum juxta doctrinam D. Thomæ, & P. Sanchez, quod quando intentio ſe abſtinendi ab uſu Matrimonii non reducitur ad pactum expreſſum, non invalidat Matrimonium; quia in tali caſu ſolùm dicitur ſimplex intentio continentiæ, & caſtitatis, quæ non opponitur obligationi *boni prolis* in ſuis principiis, quæ obligatio dicitur eſſentialis in contractibus matrimonialibus: *Fides, & proles, ſecundùm quod conſiderantur in ſuis principiis, ſunt eſſentialiſſima in Matrimonio*. D. Thom. in 4. diſt. 31. quæſt. 1. art. 3. in corp. In caſu noſtri Venerabilis propoſitum caſtitatis perpetuæ, ultraquàm cùm non fuiſſet abſolutum, fuit ſimplex propoſitum, ſeu ſimplex intentio, minimè reducta ad pactum expreſſum, tunc quando contraxit Matrimonium.

61 Ad quartum fundamentum reſpondetur concedendo ad eſſentiam Matrimonii ſpectare mutuam, & reciprocam traditionem corporum Contrahentium, quæ traditio de ſua ratione, *& ex vi contractus* eſt ordinata ad uſum conjugalem, & ad finem ſucceſſionis. Hoc admiſſo, reſtat poſteà difficultas, an inter Contrahentes neceſſariò requiratur conſenſus implicitus ad uſum conjugalem? Omnes Doctores con-

conveniunt non eſſe neceſſarium conſenſum expreſſum, ſicuti advertit Magiſter Baſilius lib. 4. de Matrim. cap. 18. num.3. in ordine ad conſenſum implicitum, & virtualem. Aliqui DD. affirmant eſſe neceſſarium ad validitatem Matrimonii, ſed difficulter poſſunt explicare in hoc ſenſu, quomodò fuerit validum Matrimonium contractum à Beatiſſima Virgine cum D. Joſeph; quod contractum fuit cum voto abſoluto perpetuæ caſtitatis. Hoc tamen non obſtante ſi bene explicetur quid ſit conſenſus implicitus, à D. Thoma requiſitus, veluti eſſentialis ad Matrimonii valorem, manifeſtè apparebit hujuſmodi conſenſum ſic bene explicatum nullatenus opponi perpetuæ caſtitati virginali; Videatur ergo doctrina adducta à P.Sanchez, ubi diſtinguit duos conſenſus implicitos *in copulam*: unum *ex parte contractus*, & alterum *ex parte contrahentis*: Hic opponitur voto perpetuæ caſtitatis, quia importat exercitium, ſeu actum oppoſitum virginitati; ſed quia conſenſus implicitus *ſe tenens ex parte contractus*, ſolùm importat actum, ſeu exercitium in ſuis principiis, hoc eſt actum volendi dominium, & poteſtatem ad tale exercitium, & uſum matrimonialem, non opponitur virginitati, ita neque opponitur conſenſui, cum quo admittitur, ſeu per quem quis vult tale dominium, & poteſtatem ad talem uſum exercendum. Et hoc modo ſalvatur conſenſum implicitum *ex parte contractus* eſſe compoſſibilem cum propoſito efficaci ſervandi perpetuam caſtitatem. In hac ſententia convenit communis opinio aliorum Doctorum; ſolùm aliquale diſcrimen, & differentia reperitur in diverſa terminorum explicatione; Dicunt enim non eſſe neceſſarium conſenſum formalem, bene verò radicalem in mutua, & reciproca corporum traditione comprehenſum, & incluſum, quæ traditio fit in actu contrahendi ſponſalia; Et ſicuti cum hac corporum traditione compoſſibilis eſt voluntas formalis, & directa abſtinendi ſe in perpetuum ab exercitio uſus matrimonialis, ita neque conſenſus radicalis opponitur virginali puritati. Videatur P. Sanchez loco ſup. cit. ſect.1. in fin. D. Thom. 3. part. quæſt. 29. art. 2. ubi loquendo de Beatiſſima Virgine ait: *Non autem conſenſit expreſſè in copulam carnalem, niſi ſub conditione, ſi Deo placuerit*. Hic Sanctus Doctor admittit conſenſum expreſſum conditionatum, quem reputat neceſſarium ad validitatem Matrimonii. Eumdem conſenſum conditionatum præſtitit noſter Venerabilis in illius contrahendo Matrimonium, quia illius propoſitum ſervandi perpetuam caſtitatem non fuit abſolutum, ſed ſub conditione datum: *ſi poſſibile foret*, ergo implicitè aſſenſus fuit, & etiam explicite in ordine ad conjugalem uſum, in caſu, quo ſe abſtineri non potuiſſet; Et in ordine ad contrahenda Matrimonia præſtitit conſenſum formalem, & abſolutum in reciproca, ac mutua traditione corporum, & conſenſum virtualem, & radicalem, quem docent, & explicant communiter Do-

ctores; neque illi defuit conſenſus implicitus *ex parte contractus*, quem aſſerit Thomas Sanchez eſſe in contrahentibus neceſſarium.

62 Ad primam confirmationem reſpondetur, nam aut propoſitum perpetuæ caſtitatis ſervandæ fuit mutuum, & reciprocum in ambabus partibus contrahentibus, aut tantùm ex parte ſolius Venerabilis, cui aſſenſum præſtitere ejus Sponſæ; De ſuo conſenſu patet ex relatione facti, in quo apparent diligentiæ, quas ipſe adhibuit ad inveniendam ſibi ſponſam ſibi proportionatam, deſiderium habentem obſervandi caſtitatem in ſtatu matrimoniali. Ita dicebat, & ita ſe declaravit Sponſabus ejus, cùm quibus contraxit Matrimonium; Igitur ſi ipſæ certiores factæ de propoſito noſtri Venerabilis, voluerunt cum ipſo Matrimonium contrahere; Sequitur ipſas aſſenſum præſtitiſſe implicitum propoſito noſtri Venerabilis. Confirmatur hæc ſententia doctrinâ D. Thomæ in 4. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. ad 4. Ubi explicans impotentias, quæ poſſunt dari in ſolutione debiti conjugalis, inter ipſas viſum eſt propoſitum perpetuæ caſtitatis emiſſum ab uno Conjugatorum, & tale propoſitum, ſive impedimentum non invalidare Matrimonium, una ſemel quod alter conjugum de eo notitiam habeat; Et ratio hujus eſt, quia ſi unus eorum de tali propoſito notitiam habet, & hac non obſtante notitia, ſecum Matrimonium contrahit, ſignum evidens eſt ipſum illius propoſito præſtare aſſenſum, & aſſentiendo illius propoſito, & conſequenter tali admiſſo impedimento, per tale impedimentum, Matrimonium non remanet invalidatum. In hoc propoſito caſu, docet D. Thomas finem contractus matrimonialis non eſſe actualem ſucceſſionem, ſed unionem animorum, ſimul cum aliis finibus honeſtis, quos ſupra explicavimus, & ſufficiunt ad valorem contractus: *Oſtenditur quod alium finem ex contractu quærit, & ideò contractus ſtat*. Ex hoc infertur noſtrum Venerabilem non fuiſſe injuſtum, neque malitioſum erga ſuas ſponſas in obſervando caſtitatem. Patet ipſum nullum adhibuiſſe dolum, neque doloſè egiſſe, dum antequam cum ipſis Matrimonium contraheret, illis ſuam patefecit intentionem, ejuſque mentem declaravit, factumque propoſitum, cum quo Matrimonium contrahere deſiderabat. Propter eamdem rationem patet nullam commiſiſſe injuſtitiam, eò quia una ſemel, quod illius Sponſæ, antequam ſecum contraherent non ignorabant illius propoſitum, cum quo contrahere volebat, & ipſæ aſſenſum præbuerunt, nullum eis illatum præjudicium, & gravamen adducere potuerunt, eò quia, *volenti, & conſentienti, aut ſcienti, nulla fit injuria*. Ita pariter, quia quando non concurrit conſenſus explicitus in contractu matrimoniali ad unionem carnalem, aut cum actu interno, cùm quo contrahitur in ordine ad ſupradictam unionem carnalem, nulla adeſt obligatio ex juſtitia ad petendum, aut ad ſolvendum debitum matrimoniale, juxta

opi-

opinionem Ugonis Victorini: *Hujus debiti neceſſitas illos conjugatos ſibi invicem non ſubjicit, in quibus, dum conjugium contraheretur, hujus operis conſenſus non præceſſit*. In præſenti Matrimonio contracto cum propoſito obſervandi caſtitatem, *ſi poſſibile foret*, non adfuit conſenſus formalis abſolutus ad exercendum uſum matrimonialem; ſed ſolùm adfuit in ſuis principiis, & talis dicitur conſenſus radicalis fundatus in mutua, & reciproca traditione corporum, juxta communem opinionem Doctorum; aut adfuit conſenſus implicitus *ex parte contractus*, & ſolùm adfuit conſenſus expreſſus conditionalis, & juxta doctrinam D. Thomæ nullus ex his conſenſibus abſolutè obligat; & non obligandò ceſſat quæcumque injuſtitiæ apparentia.

63 Ad ſecundam confirmationem, ſcilicet ad argumentum Gratiani, qui impugnat Matrimonii valorem contracti ob ſolam animorum unionem, quæ unio dari poteſt inter duos fratres, & nemo affirmare poteſt eſſe validum Matrimonium contractum inter fratrem, & ſororem. Idem argumentum urget, & formari poteſt inter maſculum, & maſculum, fœminam, & fœminam, qui ſunt inhabiles ad Matrimonium contrahendum, eſtò non ſint inhabiles ad ſervandam mutuam, & reciprocam animorum unionem. Hoc argumentum prout reſpicit perſonas ejuſdem ſexus, non militat in caſu noſtro propoſito, quia Matrimonium, attenta ſui primaria inſtitutione debet eſſe inter perſonas diverſi ſexus, inter maſculum, & fœminam; ſicuti habetur ex Gen. & à Sancto Euang. *Maſculum, & fœminam fecit eos*. Conſtat etiam ex definitione Matrimonii à Jure Civili, & Canonico tradita, ubi apparet tantummodò perſonas diverſi ſexus, puta maſculum, & fœminam eſſe ſubjecta legitima, & capacia ad contrahendum Matrimonium. Remanet reſponſio, ſeu reſolutio, an validum dici debeat Matrimonium, inter fratrem, & ſororem contractum. Noſter Baſilius Ponc. lib. 7. cap. 59. n. 2. ait non eſſe validum, ſtante prohibitione Juris Divini, & Eccleſiaſtici, ſed addit quod nulla poſſit aſſignari ratio convincibilis invalidans tale Matrimonium, ſecundùm legem naturæ. Obſervat Ugo Victorinus, quod in inſtitutione Matrimonii, Dominus Deus ſolùm prohibuit non debere contrahi inter Patrem, & Matrem, quod fundatur in illis verbis, Gen. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ*; Sed quod inter Fratrem, & Sororem, & in gradu prohibito conſanguinitatis, Matrimonium eſſe invalidum, & nullum, ſolùm fundatur in Jure Eccleſiaſtico. In caſu noſtro nullum interfuit impedimentum conſanguinitatis, ſed ſolùm adfuit propoſitum perpetuæ caſtitatis, quod conſtituit Conjugatos in ea vivendi forma, ſub qua convivere habent ad invicem frater, & ſoror. Talis vitæ ſtatus, ſeu forma vivendi ad modum, quo vivere ſolent frater, & ſoror non invalidat Matrimonium contrahendum, neque contractum ſolvit; Si-



Digitized by Google

cuti in ſimili caſu fuit ab Eccleſia deciſum Cap. *Conſultationibus de frigidis, & maleficiatis*; ubi decidit Lucius Papa: *Ut quas tamquam Uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores* Cœleſtinus III. Cap. Requiſiti, ait: *Quod ſi ambo conſentiant ſimul eſſe, Vir eam, & ſi non ut Uxorem, ſaltem ut Sororem habeat*. Videatur Magiſter Baſilius loc. cit. cap. 58. Ita deciſit cauſam ob unionis carnalis defectum ex impotentia naturali exortum; Igitur eodem modo intelligendum eſt, quando currit caſus idem ob impotentiam voluntariam ex communi exortam conſenſu. Neque invalida reputanda ſunt Matrimonia, cùm contrahentes ad modum fratris, & ſororis ſe gerant; Ultraquàm quod, ſi frater, & ſoror ſub hac vivendi forma viverent, & eſſent incontinentes, graviter peccarent, ſed in caſu, quod noſter Venerabilis veniſſet ad copulam conjugalem, neque inceſtus peccatum commiſiſſet, neque aliud peccatum feciſſet; eò quia ipſe non emiſit votum caſtitatis, neque propoſitum abſolutum eam ſervandi, ſed ſub conditione, & abſque eo quod ſe obligaret ad aliquod peccatum. Argumentum Gratiani ſupponit ſolummodò unionem animorum ſinè reciproca, & mutua traditione corporum, neque conſenſu dominii, & poteſtatis ad uſum, & actum conjugalem, quæ omnia ſunt requiſita Matrimonii, & haberi non poſſunt inter fratrem, & ſororem: *quidquid ſit* repugnans vi legis poſitivæ, ſeu naturalis; & ſic nullius eſt probationis contra Doctores, quos impugnat, neque in caſu noſtro militat.

64 Ad ultimam confirmationem reſpondetur certiſſimum eſſe nullum ſubſiſtere Sacramentum ex defectu debitæ materiæ, ſed ex hoc eodem principio infert Baſilius Ponc. lib. 7. cap. 53. n. 2. Corpora contrahentium ad generationem apta, & ob eumdem finem mutuò tradita, non eſſe materiam præciſam Sacramenti Matrimonii, eò quia ſuperveniente perpetua impotentia ad generationem, non propterea Matrimonium dicitur ſolutum, juxta communem ſententiam Doctorum, & tamen in iſto caſu ſolvi deberet, ſi deficeret materia præciſa Sacramenti. Et confirmatur, quia quando Mulier convertitur in Virum [quod accidit in Alcala, eo tempore, quo ibi vivebat Magiſter Baſilius] ſicuti ipſe teſtatur, & Plinius refert hoc eſſe poſſibile; In tali caſu Matrimonium dicitur ſolutum, quia deficit diverſitas ſexuum, quæ conſtituit perſonas legitimas, eaſque facit veram Sacramenti Matrimonii materiam; Igitur materia Sacramenti Matrimonii, & contractus, non ſunt corpora ad generationem habilia, & ad hunc finem tradita; Hoc tamen non obſtante dato quod ſint materia remota hujus Sacramenti nil probatur contra præſentem noſtrum caſum, in quo conſtat ex facti relatione adfuiſſe in duobus illis Matrimoniis, mutuam, & reciprocam traditionem corporum, aptitudinem habentium ad generationem, & cum propoſitum perpetuæ caſtitatis non eſſet abſolutum, ſed

con-

Digitized by Google

conditionatum, non excludit abſolutè finem generationis, ſed ſolùm conditionatè.

65 Ex hoc infertur reſolutio alterius argumenti, quod adduci ſolet contra Matrimonium Beatiſſimæ Virginis. Hoc argumentum tangitur ab Ugone Victorino loc. cit. & fundatur ſuper illa verba Gen. cum commentatione D. Pauli: *Erunt duo in carne una: Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia.* Ex hoc igitur infertur Sacramentum Matrimonii ideo eſſe Sacramentum, in quantum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia; Hæc autem unio ſolùm repræſentatur in Conjugatis, tunc quando ex duobus, una fit caro, & hoc non poteſt ſubſiſtere in iis, qui in perpetua vivunt caſtitate; igitur ſicuti caſtitas opponitur huic ſignificationi; ita opponitur Matrimonio, ſub Sacramenti ratione conſiderato. Ad argumentum reſpondet Ugo Victorinus, quod Matrimonium, ut Sacramentum duas importat ſignificationes, puta unionem inter Deum, & Animam, quæ unio eſt ſpiritualis, per quam fit converſio in unum, & eumdem ſpiritum, ut loquitur. Amplius; *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.* Altera verò ſignificatio eſt unio Chriſti cum Eccleſia. Ipſi hypoſtaticè unita, mediante illius humanitate; Et hujus corporalis unionis mentionem facit Apoſtolus; De prima verò unione ſpirituali agit Propheta Malachias cap. 2. Magnum eſt Matrimonii Sacramentum, quatenus in ipſo repræſentatur unio Chriſti cum Eccleſia; Sed longè excellentius eſt in repræſentatione unionis Dei cum Anima. Hæc ſunt verba Ugonis Victorini: *Magnum igitur Sacramentum, erunt duo in carne una, in Chriſto, & Eccleſia, ſed majus Sacramentum, erunt duo in corde uno, in dilectione una, in Deo, & Anima.* Inter Conjugatos præſentis noſtræ Conſultationis interceſſit unio actualis, & expreſſa animorum, per quam ſpiritualiter uniti ſignificarunt unionem Dei cum Anima, & verum conſtituerunt Sacramentum. Adfuit etiam in eis verum Sacramentum, mediante mutua, & reciproca eorum corporum traditione, in qua radicaliter ſignificata erat unio Chriſti cum Eccleſia, eſtò non eſſet perfecta, & conſummata. At Sacramentum Matrimonii, ut ſuum retineat valorem, abſolute non requirit hanc conſummationem, dum abſolutè eſt ratum, & non conſummatum, ut docent de communi cenſura Doctores, & hoc in Conc. Trid. fuit deciſum.

66 Ex uſque modò dictis in duobus articulis controverſis *in utramque partem* cum Angelico Doct. D. Thoma, demonſtrando, & ſuſtinendo duo noſtri Venerabilis Matrimonia fuiſſe licita, & valida, & hoc per ipſas eaſdem doctrinas, cùm quibus probatur Beatiſſimæ Virginis Matrimonium cum D. Joſeph contractum, fuiſſe validum, & licitum, clarè deducitur noſtrum Venerabilem, de quo agit noſtra præſens

Con-

Conſultatio, bene fuiſſe operatum in duobus Matrimoniis ab eo contractis cum propoſito ſervandi in illis perpetuam caſtitatem, ad imitationem Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph: Ita conveniens in his noſtris præſentibus temporibus, ſicuti conveniens fuit in tranſactis, ut in hac deſponſatione honorem ſuſciperent Matrimonium, & virginalis caſtitas, & confuſi remanerent Hæretici, unius, & alterius extremi Detractores. *Quia in perſona ipſius, & Virginitas, & Matrimonium honoratur contra Hæreticos alteri horum detrahentes.* Ita ſenſit. In hoc Conventu noſtri Patris D.Auguſtini. Salaman. die 30.Junii 1720.

*Magiſter Petrus Manſo Cathedraticus D. Thomæ.*

SUF-

# SUFFRAGIUM

Reverendiſſimi Patris Magiſtri

# F. MICHAELIS DE HERCE

*Benedictini, & Sacræ Theologiæ Cathedratici veſpertini.*

1 SUpra caſum propoſitum non eſt dubitandum, perſonam, quæ eſt præſentis quæſtionis ſubjectum, eligere potuiſſe ſtatum matrimonialem, cùm eſſet in ſtatu libero, & abſque ullo impedimento, quo perſonæ redduntur inhabiles ad Matrimonium contrahendum, & ſic tantùm adeſt dubitandi occaſio in ordine ad facti rectitudinem, ſtantibus aliis motivis, quæ in contrarium poſſunt occurrere.

2 Primum fundatur in propoſito conſervandi ejus virginalem puritatem in ſtatu matrimoniali, *ſi poſſibile foret*, habita in mente intentione imitandi Matrimonium D. Joſeph, cum Beatiſſima Virgine contractum, ob quem finem ſe abſtinuit à copula carnali, cum una, & altera ſponſa; ſuper quod, cùm eſſet exorta ſuſpicio in Parentibus, non videntibus fœcunditatis fructum in filiabus eorum conati ſunt illum diſſuadere, & removere à ſuo ſibi propoſito vivendi modo per contentiones, & litigia, comminantes eum, ſe velle illum, tamquam impotentem accuſare.

3 In hoc capitulo in primis occurrit difficultas contrahendi Matrimonium, cum animo [ſecundùm quod apparet] clarè oppoſito propagationi prolis, quæ prolis propagatio eſt unus ex finibus neceſſariis Matrimonii; Et propoſitum imitandi exemplar Matrimonii adeò ſingularis, quale fuit illud contractum inter D. Joſeph, & Beatiſſimam Virginem, quod cùm eſſet Sacroſanctum, videtur quod potius incurreret temeritatis, & præſumptionis notam, qui vellet illud imitare. Et in ultimo loco litigia, & diſſentiones inter illum, & parentes ſponſarum propter manifeſtationem eis factam de ejus propoſito.

4 Naſcitur ſecundùm motivum à tranſitu facto ad ſecundas nuptias, in quo tranſitu præter ſupra relatas difficultates, multæ aliæ ſpecialiores ſuperveniunt, & ſunt, iterum ſe novis exponere periculis non conſervandi caſtitatem, quam ſervare vehementer cupiebat, & quaſi



Digitized by Google

Deum tentando, periculo perditionis expoſuit victoriam, quam in primo Matrimonio reportaverat; eò quia valdè alienum videtur ab humana prudentia, ex una parte deſiderio flagrare ſervandi virginalem caſtitatem, & ex alia, eodem tempore tam improprium eligere medium ad illam ſervandam, negligens in hoc Matrimonio iterato D. Pauli conſilium: *Solutus es ab Uxore, noli quærere Uxorem*; & idem conſilium præbet mulieri, quæ libera per mortem ſui viri, ne iterum Matrimonii vinculo ſubjugari curet; Dum tale reſpuere conſilium, facit, quod ſecundæ nuptiæ, magis vituperio, quam laude dignæ reputentur; eò quia per ipſas perdidit libertatem, ut totam ſuam impenderet occupationem ad Deo tantùm ſerviendum, ſibi iterum eligendo ſtatum matrimonialem, & Uxori ſe ſubjecit, ſtudens quomodò placere poſſit, non tantum Uxori, verùm & iis, quæ ſunt hujuſmodi, dividens ſuum obſequium, quod totum potuiſſet integrè Deo conſecrare, niſi ad ſecundas nuptias tranſiviſſet, quod eſt contra Apoſtoli conſilium.

5 Ultra ſupra adductas conſiderationes, opponi poſſunt contra duo relata Matrimonia periculoſiſſimæ occaſiones, quas veriſimile credendum eſt perpaſſas fuiſſe duas ſponſas, cum evidenti earum animarum ſalutis periculo, dum nullum dubium eſt, quod aſſidua cohabitatio cum viro debebat ſæpe ſæpius concupiſcentiæ flammas accendere, quibus veriſimile eſt, ipſas reſiſtere non potuiſſe ſinè miraculo; Hinc eſt, quod Sancti Patres perpendentes periculi gravitatem, credunt ſibi verba deeſſe ſufficientia ad exprimendum, & exaggerandum temerariam illorum præſumptionem, qui non elongantur à familiari ſocietate, & mutua cohabitatione, & converſatione cum fœminis. Optimè expreſſa ſunt Divi Hieronymi verba quæſt. 4. ad Tou. *Quomodo ſi ignem attigerit, ita viri tactus, & fœminæ naturam ſuam, & diverſitatem ſexus intelligit*. Neque minoris ponderis ſunt verba Magni Baſilii lib. de ver. Virg. *Gravis, & vehemens virorum, erga fœminas urget concupiſcentia, & maſculinis corporibus eſt indita, ut non poſſit evelli, quæ niſi vi quadam opprimatur; pudorem omnem paulatìm excutit, ipſumque judicium, & ſanitatem mentis evertit*. Verba, per quæ iſte magnus Sanctæ Eccleſiæ Pater manifeſtum facit quanti ſit periculi materia, de qua loquitur. Sed magis manifeſtè apparet illius mens ſevera, & rigoroſa admonitione, cum qua in loco ſupra citato admonet etiam eos, qui ab eodem ventre nati ſunt, ut omnem adhibeant cautelam, ne ſatis confidenter ad invicem verſentur, & tractent, ne deplorabilia damna eis eveniant.

6 Hæc etiam Magni Auguſtini erat opinio, dum cenſebat evitandam eſſe intimam familiaritatem, frequentemque communicationem fratrum, etiam cum propriis ſororibus; nam quando per eas haud eſſent in-

inconvenientia, nihilominus reſultari poterant, occaſione aliarum fœminarum, quæ ad eas viſitandum venirent: Ac Demum omnes Sancti Patres, ita concordes ſunt in monendo de hac cautela, ut ſi eorum ſententiæ ſcriberentur, magnum conficeretur volumen. Ex quo infertur, dicta Matrimonia fuiſſe valdè periculoſa, & inſurgit gravis dubitatio, quod malè operatus ſit, qui ea contraxit; quoniam videtur, quod poneret Deum in occaſione patrandi miracula, vel operandi cum extraordinaria providentia ad impediendum, ne illæ animæ periculum tempeſtate tentationum ſubirent.

7 Hoc totum videtur opponi poſſe facto, quod in præſenti noſtra Conſultatione continetur. Hoc non obſtante conſideratur modus, & circumſpectio Venerabilis Apparitii in celebrando ſuos contractus, in quibus inveniemus multa laudabilia, & nullum vituperabile, dum illius propoſitum cum illis circumſtantiis, factum, nullatenus præjudiciale dici poterat naturæ, & eſſentiæ veri, & legitimi Matrimonii; Ipſumque propriam ſervaſſe virginalem puritatem, fuit opus heroicæ virtutis ſpecialiſſimæ divinæ gratiæ adjutorio corroboratæ. Iſtæ duæ concluſionis partes opponi videntur rationibus adductis ad dubitandum in ordine ad præſentem caſum, de quo ſit diſputatio; Et ad hoc ut meliori methodo, minorique confuſione videantur conſolidatæ, eas oportet ut dividamus, & recto cum ordine illius probemus.

8 Incipiendo igitur à prima, ſciendum oportet, noſtrum Venerabilem non fuiſſe operatum contra naturam veri, & legitimi Matrimonii in ordine ad propoſitum emanatum conſervandi *in quantum ei poſſibile foret* perpetuam virginalem caſtitatem, & habet tot Teſtes ſibi favorabiles, & ſui defenſores, quot habet Matrimonium contractum inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph, à quibus, ut verum, & legitimum Matrimonium extat approbatum. Quæſtio, ita communi omnium voto approbatum. Quæſtio, ita communi omnium voto approbata, ut benignior cenſura ad temeritatis notam reduceret ſententiam oppoſitam; Et cùm certe appareat, multos Sanctos Patres, Doctores Scholaſticos primæ claſſis, quos citat P. Vaſquez, & Reverendiſſimus Dominus D. Fr. Joſeph de Zerda, Baſilius, & alii, eos ſentire, & indubitanter tenere, Beatiſſimam Virginem, antequam eſſet deſponſata Joſeph, emiſiſſe votum abſolutum conſervandi in perpetuum illius virginalem puritatem; infertur per conſequens manifeſtum, quod ſi tale votum abſolutum non fuit contrarium eſſentiali valori, & legitimitati illius Sancti Conjugii, à fortiori neque contrarium reputandum erit Venerabilis Apparitii emanatum propoſitum, ſub hac conditione, *ſi ei poſſibile foret*, obſervandi perpetuam caſtitatem.

9 Hujus clara ratio eſt, quia in eventu quod aliqua eſſet difficultas, magis opponitur fini propagandi prolem votum abſolutum virginitatis,



Digitized by Google

quàm opponatur propoſitum conſervandi virginalem puritatem, per quantum poſſibile eſſet; & ratio eſt, quia votum abſolutum aufert poſſibilitatem à perſona vi obligationis verbo dato, aut promiſſæ fidei, quod non ſolet evenire in propoſito conditionato; & ideò in eo nulla apparet oppoſitio, quæ ſit contra perfectionem Matrimonii, ut verum, & legitimum dicatur; quando ſecundùm ſententiam multorum Sanctorum Patrum videamus hanc perfectionem ſalvari, etiam cum voto abſoluto.

10 Nihilominus, quia Sancti Patres non videntur concordes in opinione voti abſoluti Beatiſſimæ Virginis, & Angelicus Doctor ſenſit votum illud fuiſſe ſub conditione factum, hanc ſententiam ſequentes, noſtra Concluſionis pars, magis conſolidata, & fundata remanebit doctrinâ Angelici Doctoris. Multis in locis Sanctus Doctor aſſerit, & affirmat, Beatiſſimam Virginem verum contraxiſſe Matrimonium, cum voto conditionato conſecrandi Deo illius virginalem puritatem, & ita expreſsè ſenſit in 3. part. quæſt. 24. art. 4. in corp. Et ad ſolutionem illius argumenti ad primum, ubi ait: *Quia videbatur eſſe à lege prohibitum non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram, ideò non ſimpliciter virginitatem vovit Dei Genitrix, ſed ſub conditione, ſi Deo placeret*. Et in quæſt. 29. art. 2. in corp. affirmat duos Sanctiſſimos Conjuges celebraſſe verum Matrimonium, *quia uterque conſenſit in copulam conjugalem, non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione, ſi Deo placeret*. In cujus cauſali, obſervandum eſt Angelicum Præceptorem non ponere aſſenſum abſolutum ex parte copulæ carnalis, ſed conditionatum, ſcilicet *ſi hoc eſſet Dei beneplacitum*; & certum eſt noſtrum Venerabilem Apparitium non fuiſſe oblitum hujus conditionis, cùm tantam ſervaſſet circumſpectionem in ſuo propoſito, quod ſemper adſcriptum tenebat ſuppoſitioni, qua ei poſſibile foret ſervandi *illius* Deo *promiſſam* virginalem caſtitatem.

11 Idem reſolvit in diverſis aliis articulis in ſupplemento tertiæ partis, & in quæſt. 42. ubi expreſsè affirmat copulam carnalem non ſpectare ad integritatem Matrimonii, in ordine ad perfectionem, & eſſentiam ejuſdem. Et in quæſt. 48. art. 1. ait aſſenſum ad copulam carnalem non conſtituere Matrimonium, & adducit exemplum D. Joannis Euangeliſtæ, qui numquam ipſi copulæ præſtitit aſſenſum; & rationem aſſignat in argumento *ſed contra*. Et tandem in quæſt. 58. art. 1. in ſolutione ad quartum argumentum ſenſit, quod ille qui tenet impedimentum ex naturæ defectu, ſeu naturali impotentia ſolvendi debitum matrimoniale, optimè poteſt legitimum contrahere Matrimonium, una ſemel tamen, quod illius impotentia ſit Uxori manifeſta, quia in tali caſu ( utor verbis Angelici Doctoris ) *oſtenditur quod alium finem in contractu quærit, & ideo contractus ſtat*.

12 Su-

12 Supra relati textus Angelici Præceptoris videntur adeò eſſe in favorem facti noſtri Venerabilis in ordine ad validitatem, & certitudinem duorum Matrimoniorum, quæ ipſe contraxit, ut hoc ſolo fundamento, dari poſſit & ſufficientiſſima, & certa reſolutio hujus cauſæ. Quia in aliquibus ſenſit, & affirmat, nonnullos contrahere verum Matrimonium cum voto conditionato emiſſo ante contractum, ſervandi virginalem puritatem. In aliis tenet, & docet copulam carnalem, & aſſenſum ad ipſam non ſpectare ad eſſentiam ejuſdem: & tandem, neque defectum, ſeu naturalem impotentiam ad copulam carnalem eſſe impedimentum ad contrahendum, neque invalidare contractum, neque eſſentiam Sacramenti, utpotè ordinatum ad alios fines, ad quos tendere poſſunt Contrahentes. Ex quibus præmiſſis infertur, abſque teſtium violentia, quàm irreprehenſibile eſſe propoſitum ſervandi caſtitatem in ſtatu conjugali, cum innocenti conditione, ut in caſu noſtro apparet fuiſſe factum ſub hac conditione, *ſi poſſibile foret*.

13 Sed ut magis appareat hujus relati propoſiti juſtificatio, confirmari poteſt expreſſis auctoritatibus D. Auguſtini ad quarum appoſitionem quieſcere valebit omnis ſcrupuloſus; ob quod ſuppono, quod totum id, quod adduci poteſt in oppoſitum, reducitur ad defectum intentionis, ſeu conſenſus ad copulam carnalem in Matrimoniis noſtri Venerabilis; Verum tamen cùm Matrimonium contractum cum intentione ſervandi caſtitatem per quantum ei poſſibile eſſet, non opponatur cum conſenſu implicito in voluntate contractus, ſinè hac conditione adinvenit modum D. Auguſtinus ad defendendum tale Matrimonium, tamquam validum, verum; & legitimum; Ita hunc modum explicat, & declarat in lib. de bono conjugali cap. 1. per hæc verba: *Conſequens ergo eſt connexio ſocietatis in filiis, qui unus honeſtus fructus eſt, non conjunctionis maris, & fœminæ, ſed concubitus: poterat enim eſſe in utroque ſexu, etiam ſinè tali commixtione alterius regentis, alterius obſequentis amicabilis quædam, & germana conjunctio*.

14 Ubi iſte magnus Eccleſiæ Pater docet, quod eſtò filii dicantur finis, ſeu fructus honeſtus Matrimonii, quod celebratur in ordine ad concubitum; nihilominus poteſt etiam ſubſiſtere ſine ordine ad carnalem conjunctionem; cùm ſalvari poſſit ratio contractus in aliis matrimonialibus obſequiis, & fraterno amoris vinculo; & id cùm majori conjugalis ſtatus perfectione, & Conjugatorum gloria, ſicut exprimit in eodem lib. cap. 3. profundè arguens, quod quo perfectiores ſunt Conjugati, *tanto maturius à commixtione carnis, ſive pari conſenſu ſe continere cœperunt; non ut neceſſitatis eſſet poſtea, non poſſe, quod vellent, ſed ut laudis eſſet primum noluiſſe quod poſſent*; qualis ſententia, facta etiam parva reflexione, clarè oſtendit, quàm longè à Divi Auguſtini mente eſſet ſuſtinere, eſſe abſolutè, & ſimpliciter neceſſariam



Digitized by Google

voluntatem, & aſſenſum ad copulam carnalem ad ſubſiſtentiam, & valorem veri Matrimonii; quando ad mentem illius, hujus carnalis copula anticipatè evitata, refertur ad meritum voluntatis, & non ad defectum vigoris in natura, in honorem, & gloriam cedit Conjugatorum.

15 Non minori claritate id reperitur expreſſum in lib.23. contra Fauſtum cap.8. ubi verum fuiſſe defendit Beatiſſimæ Virginis Matrimonium cum D. Joſeph contractum, & in hujus Sancti Patriarchæ defenſionem, illi honorem veri Mariti tribuit, de quo ille dubitabat: *Nec enim*, ait, *quia concubitu non permixtus, ideo non maritus*; explicans excellentius bonum, quod ſummoperè magni facere debent conjugati, & inter illos, qui in ſtatu matrimoniali vivunt, ſuam ſententiam, & opinionem manifeſtat in fine capituli, iſtis verbis, quæ mirificè ad rem faciunt in noſtro caſu: *Et ne homines fideles Chriſti, id quod ſibi conjuges miſcentur, tam magnum in conjugio deputarent, ut ſinè hoc conjuges eſſe non poſſe non crederent; ſed potius dicerent fidelia conjugia, multo familiarius ſe adhærere membris Chriſti, quanto potuiſſent imitari Parentes Chriſti*.

16 In cujus auctoritate clarè videtur, Matrimonia fidelium adeò majori legalitate, & perfectione ſubſiſtere, quanto magis facta ſunt ad imitationem Chriſti Parentum, qui eſt eorum caput ſupremum, ac nobiliſſimum; qua de cauſa iſte præclariſſimus Doctor ſcribere non dubitavit in lib. 2. *de conſenſu Euangeliſtarum* cap. 2. *Hoc exemplum magnificè inſinuatur fidelibus conjugatis, etiam ſervato pari conſenſu, poſſe permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu*. Sententia, quæ indicare videtur, quod ſicuti à Chriſto inſinuata, & commendata fuit virginitas ad exercitium animorum, ita cognoſcens non eſſe illius aſſecutionem impoſſibilem fidelibus conjugatis, eamdem reliquit imitandam in Matrimonio ſuæ Santiſſimæ Genitricis ad majorem gloriam illorum, qui ſequi deſiderarent tam ſingulare, celeberrimumque exemplar, ex quo infertur, quod de peccato arguere contrahentes Matrimonium cum propoſito in eo perpetuam ſervandi caſtitatem, *ſi poſſibile ſit*, hoc eſſe à mente D. Auguſtini omnino alienum, illiuſque tam fundatæ doctrinæ oppoſitum.

17 Neque oppoſitum credo ſentire D. Ambroſium, qui in lib. cujus titulus *Inſtitutio* Virginis ad Euſebium, impugnat execrandam temeritatem illorum, qui negant Beatiſſimam Virginem fuiſſe in virginitate præſervatam poſt Matrimonium, quando hæc proponitur ad exemplum ad finem excitandi fideles omnes ad illius puritatis cultum: *Cùm omnes ad cultum Virginitatis Beatæ Mariæ advocentur exemplo, fuerunt, qui eam negarent Virginem perſeveraſſe*; & ad convincendum ma-

Digitized by Google

magis adæquatè hanc perverſam opinionem, excludit à natura contractus ſacri, totum id, quod in quocumque modo adaptari poſſit ad violationem virginalis ſigilli. *Cùm enim* [ ait iſte Sanctus Pater ] *initiatur conjugium, tunc conjugii nomen addiſcitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis; denique cum jungitur Puella, conjugium eſt, non cùm virili admixtione cognoſcitur.* Quis igitur admittendo id, quod ad mentem D. Ambroſii, rigorosè, & ſubſtantialiter eſt contractus matrimonialis, invenire poterit aliquod, de quo accuſari poſſit Venerabilis Apparitius in ordine ad illius propoſitum conditionatum ſervandi caſtitatem? Cùm clariſſimè ex hoc Sancto Doctore appareat conjugale, ſeu matrimoniale pactum eſſe illud, quod conſtituit Matrimonium, quod, [ ut bene ait doctus Zerda ] *voluntate, non voluptate contrahitur.*

18 Eſſet numquam ſermoni velle finem imponere, ſi adducere vellem totum id, quod ab innumeris aliis Doctoribus refertur ad comprobandum noſtrum aſſumptum; nihilominùs referre non omittam doctrinam Sancti Petri Damiani, quam valde adaptatam reputo materiæ, de qua loquitur. Scribens igitur ad Clerum Favenzæ, quæ epiſtola eſt undecima libri 5. ad Cleros, & poſtquam retuliſſet quamdam opinionem aſſerentem concubitum eſſe ſummam contractuum matrimonialium, & ſinè ipſo denominari non poſſe Matrimonium; hujus ſententiæ falſitatem impugnans cum exemplo Beatiſſimæ Virginis, & auctoritate D. Ambroſii, & Venerabilis Bedæ, ſuam ſubſequentibus verbis ſententiam proponit. *Nos autem è diverſo liberè profitemur, & concubitum poſſe ſinè nuptiis fieri, & ſinè concubitu rectè nuptias appellari; ſunt enim aliquando nuptiæ cælibes, ſunt quæ dignè dicantur nuptiæ virginales, in quibus ſcilicet ſic uxor viro dotali fœdere jungitur, ut prælato Cæleſtis Thalami deſiderio carnali nullatenus miſceatur; Ad quod etiam nuptiarum genus Apoſtolus auditores ſuos videtur invitare, cùm ait: de quibus ſcripſiſti mihi bonum eſt homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam Uxorem habeat, & una quæque Mulier ſuum Virum habeat: cùm enim mulierem non tangere, bonum eſſe primò perhibeat, deinde propter fornicationem Uxorem habere unumquemque decernat, ad cælibes procul dubio nuptias diſcretus Doctor invitat; ut ſi laqueum fornicationis dumtaxat evadere poſſumus, carnale commercium in nuptiis non quæramus.*

19 Et reflectens Damianus ab initio Mundi Matrimonium fuiſſe inſtitutum, ob finem ſpeciei propagandæ, & quod tunc temporis cum tali principali intentione celebrabatur ad propagandam humanam naturam in ſuis individuis, adducit diſcrimen, quod eſt admittendum inter illa primitiva legis antiquæ ſæcula, & legem gratiæ. *Nunc autem* [ait ipſe] *adveſperaſcente jam mundo, & illius coruſcante doctrina, qui de Virgi-*

*ne*

Digitized by Google

*ne Virgo eſt, ad vitandam ſpectat procul dubio fornicationem: Tunc etiam ſalvo altiori myſterio, dicebatur; maledictus vir, qui non habuerit ſemen in Iſrael; nunc autem dicitur: Viri diligite Vxores veſtras, ſicut Chriſtus Eccleſiam; Et Apoſtolus: Tempus eſt, inquit, ut qui habent Vxores, tamquam non habentes ſint.* Et concludit cum hac conſequentia ex Apoſtolo deducta. *Enim verò, qui, ſicut ſuperius diximus, Vxorem ducendam prædicant, & non tangendam, nec tumeſcentem uterum, infantumque vallatum, ſed immaculatum cubile, & conjugalis continentiæ deſiderat cælibatum; qui nimirum dum dicit, ſi ſe non continerit, nubat*, & alibi: *revertimini in id ipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram: patenter oſtendit, quia mutuus inter Conjuges caſtitatis eſt habitus; admixtionem verò carnis permittit invitus.* Uſque huc Cardinalis Sanctus Petrus Damianus, qui in toto contextu ſuæ auctoritatis adeò expreſsè apparet quàm firmiter ipſe defendat duo Matrimonia noſtri Venerabilis, & quia nullam relinquit rationem adducendam in illis verbis: *Sunt enim aliquando Nuptiæ Cælibes, ſunt quæ dignè dicantur Nuptiæ Virginales*, quæ ſunt [ ut ait ipſe ] nuptiæ, in quibus mulier jungitur cum viro ſuo cum pacto dotali; itaut præferens Thalamum Cœleſtem, nullo modo interveniat acceſſorium carnale. In quo caſu neceſſe eſt condemnare hoc genus contractus, ut ponatur ſuſpicio, ſeu ut ſuſpecti dicantur illi contractus noſtræ quæſtionis, quia reſpicit propoſitum, quod defendere ſtudemus, & excludere è linea liciti Matrimonia virginalia.

20 Neque minoris ponderis reputanda eſt explicatio, quam adducit ad mentem D. Pauli in illa propoſitione: *Cum enim mulierem non tangere, bonum eſſe primò perhibeat; ad cælibes proculdubio nuptias, diſcretus Doctor invitat, ut ſi laqueum fornicationis dumtaxat evadere poſſumus, carnale commercium in nuptiis non quæramus.* Ubi clarè videtur Apoſtolum invitare fideles ad Matrimonia virginalia, & evitare valentes fornicationis laquea, minimè quærere carnale commercium in ſtatu Matrimonii, quod eſt idem, abſque ullo diſcrimine, quod executioni mandatum fuit à noſtro Venerabili in ejus duobus Matrimoniis ab eo contractis. Et quidem difficile reputatur Apoſtolum invitare fideles ad Matrimonia virginea, & in dubio ponere, an benè ſe gerant illi, qui ea contrahunt cum propoſito in illis ſervandi caſtitatem.

21 Sed etiam validior, & robuſtior eſt concluſio, cum qua terminat textum. *Patenter oſtenditur, quià mutuæ inter conjuges caſtitatis eſt avidus; admixtionem verò carnis permittit invitus.* Talis erat Apoſtoli mens juxta Sancti Damiani doctrinam in ordine ad vivendi normam conjugatorum in ſtatu matrimoniali; deſiderabat enim reciprocam caſtitatem conjugatorum, & contra ſuam voluntatem permittebat copulam carnalem; ex quo deducitur inculpabilitas noſtri Venerabilis in

cele-

celebrando ejus Matrimonia cum propoſito conditionato, quod conformabatur cum deſiderio D. Pauli, & tantùm ſe abſtinebat ab illo extremo, ſuper quod Apoſtolus quaſi coactus diſpenſabat.

22 Invenimus, quod Eccleſia cum hac conſideratione approbat, veluti Sanctiſſima Matrimonia multorum Sanctorum filiorum ejus, qui permanſerunt in virginali puritate apud Cornel. à Lapid. tom. 1. in Euangel. Hujuſmodi fuerunt illa Sanctæ Pulcheriæ, & Marciani Imperatoris, Sancti Juliani, & Baſiliſſæ, qui ut refert Surius in ejus vita 9. Januarii, promeruerunt, quod Cœlum ipſum approbavit Victoriam, quam fuerant conſecuti in ſe conſervando in ſtatu virginitatis: *Viciſti Juliane Viciſti*. Idem geſſit Eduardus Rex Angliæ cum Edita ejus ſponſa; Sancta Cæcilia cum Valeriano, Sanctus Henricus primus Imperator cum S. Cunegunda; Quorum Matrimonia, ſi reſultarunt in honorem Sanctorum Conſortium, negari non poterit ea non confirmare, & auctorizare noſtri Venerabilis duo Matrimonia, conſimile ſecum ferens exemplum, ubi nititur rectitudo illius propoſiti; eò quia data veritate illa ſupra relata Matrimonia Sanctorum extitiſſe glorioſa ob ſervatam caſtitatem Conjugatorum; neque apparenter criminanda erunt noſtri Venerabilis Matrimonia, ſtante deſiderio, quod ipſe habuit in illis ſervandi caſtitatem.

23 Quod tandem fundatur ratione, quia relatum propoſitum ſervandi caſtitatem, *ſi poſſibile foret*, non opponitur ſubſtantiæ, neque fini Matrimonii, & conſequenter ex hac parte contrahens cum tali propoſito ab omni culpa immunis, & liber eſt reputandus, quia in præſenti caſu præſcinditur etiam à difficultatibus, quæ occurrere poſſunt in ordine ad alios punctos, ſeu ad alia capitula. Propoſita difficultas eſt illa, quæ illationem antecedit, & probatur; & ſoluta remanet à definitione Matrimonii, quod dicitur vinculum inſolubilis vitæ inter Virum, & Uxorem, ſeu ſub aliis terminis: eſt conſenſus in ſe includens mutuam, & indiviſibilem vitæ conſuetudinem, una cum mutua, & reciproca corporum traditione, & poteſtate ad copulam carnalem, ſinè poſitiva præciſione, eam in uſu ponendi, neque cùm expreſſa intentione illam abſolutè volendi; & ſic conſideratum, nullum opponitur impedimentum ab eo, à quo fuerit contractum cum propoſito ſervandi caſtitatem, ſi ei poſſibile fuerit; dum tale propoſitum non opponitur, neque aufert facultatem, aut libertatem uſus copulæ carnalis, quam in ſua libertate relinquit, & ſolùm reſpicit ad non exercitium actus, & non potentiæ, ſeu facultatis, qui actus juxta opinionem omnium relinqui poteſt; & notum eſt hunc de facto à multis Sanctis conjugatis fuiſſe dimiſſum in ſanctis, & perfectiſſimis eorum Matrimoniis.

24 Ulteriùs, cùm ſit hoc propoſitum conditionatum, ideſt obſervandi caſtitatem [ in eventu quod ei ſit poſſibile ] ſolùm proponit eam

con-

conſervandi ſub conditione, quòd poſſit ſe continere. Quodque conſors præbeat aſſenſum, & in terminis, in quibus nil reperiatur, quod impoſſibilem reddat conſervationem puritatis. Quo ſuppoſito, ſolùm requiritur caſtitas in ſolis terminis, in quibus permittitur in Matrimonio; quia nullus obligat Conjugatos ad copulam carnalem, data ſuppoſitione, quod illi ſe volunt abſtinere ab illa; & ita nulla vituperatione dignus reputari debet Venerabilis Apparitius in ſuo propoſito ab eo emiſſo ſervandi caſtitatem, in quo nil aliud voluit, niſi id quod eſt licitum, & permiſſum in ſtatu matrimoniali.

25 Cui ſuperadditur pro ultima probatione impugnatio motivorum, quæ occurrere poſſunt contra dictum propoſitum, quæ motiva principaliter reducuntur ad defectum intentionis copulæ carnalis, & voluntatis ad ipſi copulæ aſſentiendum, quæ motiva videntur eſſe extrema oppoſita illi, quod in Matrimonio requiritur. Et incipiendo à defectu intentionis copulæ carnalis, impugnari poteſt hujus carnalis copulæ neceſſitas ad ſubſiſtentiam contractus, fundamentali diſcurſu unius indubitati principii; & eſt, quod univerſaliter loquendo in nullo ſtatu neceſſe eſt intendere finem, ad executionem cujus non dicitur adſtrictus ille, qui talem finem intentat; quià intentio, eſt voluntas exequendi finem, & quamdam inducit obligationem ad illum aſſequendum, ad inſtar promiſſionis, & ſpecialiter in ſolemnitatibus contractuum. Cùm igitur certum ſit, quod ille, qui contrahit Matrimonium non remanet adſtrictus ad copulæ carnalis uſum procurandum, imò valde laudabile cenſetur ab illo abſtineri, una ſemel, quod poſſit ſe continere; ex hoc videtur inferri hanc ſuam intentionem non eſſe ex neceſſariis ad contractus ſubſiſtentiam.

26 Et hanc eamdem rationem adhibere poſſumus in reſponſione ſecundi motivi, dum non eſt vituperabilis animus non conſentiendi copulæ carnali, dum non adeſt obligatio illam procurandi, neque ullus adeſt in voluntate defectus ſe abſtinendi ab actu, qui [ data ſuppoſitione quod nullum adſit periculum incontinentiæ ] cum merito omitti poteſt. Neque contrarietas relati propoſiti in ordine ad propagationem, Matrimonii ſubſtantiam invalidat; Primò, quià, cùm hoc oppoſitionis genus dirigatur ad finem minus principalem, & non neceſſariò comprehenſum in intentione, ut dictum eſt. Secundò, quià hæc eſt contrarietas negativa, hoc eſt mera ceſſatio actus conjugalis; non verò ex illis contrarietatibus, quas vocant poſitivas, quæ referunt Matrimonium ad finem oppoſitum, ut ſunt impedire propagationem, procurando ſterilitatem, aut abortum; quapropter, cum hujuſmodi naturæ haud fuerit propoſitum Venerabilis Apparitii, neque reputari debet oppoſitum perfectioni, quam ſubſtantia Matrimonii expoſtulat.

27 Hac prima parte ſtabilita, non multum immorari debemus in diffuſio-

ſuſione probationum ſecundæ, cùm hæc potius quaſi illatio ſit, & conſequentia rectitudinis propoſiti, quam in prima parte ſtabilivimus; & efficaciores probationes quas poſſumus adducere, eſt occurrere motivis contrariis. Ita faciliori methodo ſuadere valebimus conſervationem caſtitatis in duobus Matrimoniis noſtri Venerabilis fuiſſe actum heroicæ virtutis, & ſpecialem divinæ gratiæ impulſum. Hoc in primis colligitur quia permanſiſſe, & perſeveraſſe in propoſito ſervandæ caſtitatis fuit effectus, & executio illius determinationis, aut propoſiti emiſſi ſervandi caſtitatem, quale propoſitum ab omni culpa immune probavimus; Et ſi propoſitum in ſe eſt bonum, & in ſphæra ſpecialiſſimæ virtutis, non eſt denegandus idem honor actui executo ejuſdem virtutis, cui actui correſpondere debet majoris gratiæ influxus, eò quia executio difficilior, cùm majorem importet difficultatem; Cùm ſit indubitatum principium, longè laudabilius eſſe boni fini intento executioni mandare, quàm eumdem finem intendere, & ſibi præfigere.

28 Et clarè probatur per deſcriptionem operum, quæ heroico charactere inſignita celebrantur; eò quia in ſe talia ſunt, quæ in ſe continent ſpecialem, & excellentem bonitatem, & ſingulari indigent virtute ut exequantur, & ad actum practicum reducantur. Unde ſecundùm hanc regulam generalem conſiderari debet veluti actus eminentis ſpiritus in noſtro Venerabili Apparitio ſe perſeveraſſe, & ſervaſſe in ambobus Matrimoniis in ſtatu caſtitatis virginalis, eò quia maximæ difficultates, quæ neceſſariò ei objiciebantur ſuperandæ in tam arduo negotio, non ab alio, quàm ab heroico continentiæ animo ſuperari poterant, ut ille ſuis evaderet paſſionibus reluctantibus, & recalcitrantibus ſuperior; & ſic verbis D. Bernardi concludo: ſer.65. in Canticam: *Cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonnè plus eſt, quàm mortuum ſuſcitare?* In quo ſit manifeſtum meriti pondus, ſeu qualitas ejuſdem; Et quæ cenſura, qualeque judicium erit formandum ſuper præſens aſſumptum? Sed ad hoc ut ſolutio ſolidiori, & vigoroſiori remaneat corroborata fundamento, reſtat ſatisfaciendum motivis, ſeu rationibus, dubitandi motiva præbentibus. Et in ordine ad primam objectionem in contrarium adductam in ordine ad propoſitum, hoc ita remanet probatum, & efficacibus rationibus, doctrinis, & argumentis defenſum, ut alia ſuperaddere ſuperfluum videatur, dum ſufficienter remanet probata inefficacia, & debilitas talis objectionis, & ſubſiſtentia veri, & legitimi Matrimonii.

29 Neque vim habet argumentum formatum in ordine ad tam elevatam, & ſublimem ideam ſibi præfixam, ita quod præſumptionis nota cenſeatur meritorium propoſitum, ſeu intentum imitandi exemplum ita rarum, & magnificum. Hæc forma arguendi, quæ ad primum aſpectum aliquam habet fundamenti apparentiam, ſi bene attenda-

G tur,

Digitized by Google

tur, invenietur eſſe poſitivè contrariam variis Sacræ Scripturæ Textibus, & Sanctorum Patrum auctoritatibus. In novo Teſtamento innumera ſunt loca, in quibus proponitur Chriſtus Dominus in exemplum imitandum in ſuis virtutibus, & ipſe ex ore proprio clarè locutus fuit dicens: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Ita & ſuis Diſcipulis exemplum reliquit reciprocæ dilectionis ad invicem ſervandæ: ſic pariformiter ipſe ſe præbuit in exemplum nobis ad omne opus bonum, & virtutis genus executioni mandandum, ſicut ex doctrina Apoſtoli colligitur: *omnia quæ, ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. Et ſi imitari poteſt Dei Filius in ordine ad virtutes, quæ conducunt ad ſtatum perfectionis, abſque præſumptionis, & temeritatis notæ incurſu; qua ratione vituperandum erit deſiderium conſecrandi Deo propriam caſtitatem, ſumpto exemplo, imitando in ordine ad ſervandam virginalem puritatem à Sanctiſſima Dei Genitrice? Forſan imitatione dignæ dicendæ erunt Filii Dei virtutes, quas de facto nobis Jeſus Chriſtus reliquit imitandas, virtutes verò Dei Matris, & præcipue illius virginale præconium non erit imitatione dignum, aut ejus imitatio prætergreditur poſſibilitatis metas?

30 Supra relata arguendi forma à ratione naturali, videtur convinci, eò quia nulla eſt aſſignabilis idea, quæ majori ſecuritate deſumi poſſit ad imitationem, quàm illa, in qua ipſa elucet virtus in gradu perfectiſſimo; cùm igitur Beatiſſimæ Virginis caſtitas fuerit in ſuperiori gradu perfectionis, illi cupienti ſervare virginalem caſtitatem præoſtendi poteſt nobilius exemplum imitationis talis virtutis, quàm ipſa Virgo Beatiſſima? Ita publicè manifeſtant Sancti Patres, qui unanimi fatentur conſenſu, ipſam Beatiſſimam Dei Genitricem fuiſſe pelagum omnium perfectionum, compendium, & exemplar, de quo illius amantes poſſunt deſumere omne bonum ab illis operandum, & omne malum ab eiſdem fugiendum; ad inſtar vaſtiſſimi ærarii cujuſcumque generis virtutis. Nihilominus, nemo majori claritate hujus objectionis ſcrupuloſa dubia ſolvit, quàm D. Auguſtinus in ſerm. 47. de Sanctis, ubi cum hæc replica ponatur: *Dicet aliquis, & quis eſt, qui poſſit Beatorum Martyrum veſtigia ſequi?* Sic reſpondet: *Hinc ergo reſpondeo, quòd non ſolùm Martyres, ſed & ipſum Dominum, cum ipſius adjutorio, ſi volumus poſſumus imitari*; Et ſuam opinionem confirmat cum atteſtatione primæ, & ſummæ veritatis: *Diſcite à me* [ ait ] *quia mitis ſum, & humilis corde*, & cum auctoritate Apoſtolorum Principis: *Reliquit nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus*.

31 Hæc ſententia Magni Patris Auguſtini oſtendit allatæ objectionis debilitatem contra propoſitum emanatum à noſtro Venerabili imitandi virginalem caſtitatem Beatiſſimæ Virginis, quia ſuſtinendo eſſe poſſibilem in nobis Chriſti Domini imitationem, & Sanctorum Martyrum

tyrum

tyrum, proculdubio non erit contrariæ opinionis, in ordine ad imitationem Beatiſſimæ Virginis, quæ omnium Sanctorum Virginum, & Martyrum appellatur Domina, & Regina; & multò minus nil invenire poterit vituperandum, in eo, qui tam ſupremum exemplar fuerit imitatus. De quo idem Sanctus rationem aſſignat, non ſolùm claram, ſed etiam invincibilem, eam reducendo, non ad vires naturæ, ſed ad virtutem divinæ protectionis, & ad gratiæ ſpecialis privilegia, quæ tantam vim habet, ut juſtis ſacram conferat fiduciam, ut cum Apoſtolo dicere valeant: *omnia poſſum in eo qui me confortat*.

32 Neque magni reputanda eſt alia objectio, quæ adducitur in ordine ad litigia, & contentiones parentum duarum ſponſarum, cùm non ſint ad propoſitum; Quia noſter Venerabilis Apparitius in contrahendo Matrimonia cum illis, non fecit contractum, neque ſponſalia celebravit cum negotiis ſuorum Socerum, neque obligationem contraxit arridendi, & adimplendi eorum vota, ſeu deſideria, neque ad eorum beneplacitum ſibi vitæ præſcribere formam. Neque contra eum inſurgere poterant, ut Tutores ſuarum filiarum, quià ambæ erant jam à patria poteſtate abſolutæ, & liberatæ; & dato quòd indiguiſſent Curatore, ſeu Advocato, in hoc nulla aderat neceſſitas; & injuſtum fuiſſet obligare, & adſtringere ad thalamum noſtrum Venerabilem Apparitium, quia ſupradicti genitores duarum ſponſarum illius non ei adverſabantur inſtigati, & provocati à duabus filiabus inſtantibus, & proclamantibus contra ſponſum illarum, ſed illecti à proprio lucro, & à cupidine, qua afficiebantur erga bona ipſius Venerabilis, vel ut magis veriſimile creditur, à maligno ſpiritu inſtigati, cui obedire non tenebatur; in quo caſu ad magnum meritum ei adſcribebatur moderatio, & tolerantia, ſingulariſque patientia, qua utebatur in Soceros ſuos ſufferendo tam moleſtos, & importunos.

33 Cùm igitur ad ſolas ſponſas ſpectabat proclamare, & inſtare, utpotè earum erat negotium, & iſtæ nullum dederunt inditium non conſentiendi in continentia ſponſi, & ejus modo vivendi; culpabilis profectò non erat in eo perſeverantia in caſtitatis emiſſo propoſito; quia eſt principium abſque controverſia, Virum non teneri ad ſolutionem debiti matrimonialis, quando talis debiti ſolutio, aut redditio expreſsè ab Uxore non fuerit petita, aut tandem nullum ſignum præmittit expreſſum, ex quo deduci poſſit illius deſiderii intentum in ordine ad matrimonialis debiti ſolutionem ordinatum. Ita docet Doctor Angelicus in ſupplemento ad 3. partem quæſtione 64. art. 2. Cùm omnibus Scriptoribus hujus tractatus, & de obligatione Conjugatorum. In qua ſuppoſitione Venerabilis Apparitius nullatenus cenſetur culpa notandus in obſervantia ſui propoſiti, eò quia cùm non eſſet contrarius voluntati Uxorum ejus, quæ cùm ſe abſtinuiſſent à præmit-

G 2 ten-

Digitized by Google

tendo aliquod ſignum reprobativum ejuſdem propoſiti, indicarunt illud ab eis fuiſſe approbatum; Ipſaſque extitiſſe contentas, de caſtitate ſui ſponſi, & ipſum perſeverare in ſuo propoſito ſervandi illam; hinc dici valent non levi fundamento, moleſtias hujus viri juſti, non ab alio fuiſſe exortas, quàm ab eo, quod adducit Apoſtolus in illa magna ſententia: *Omnes, qui piè vivere volunt in Chriſto, perſecutionem patientur.*

34 In ordine ad difficultates propoſitas de ſecundo Matrimonio, facilis eſt reſponſio danda nonnullis earum, quæ ſunt extra caſum in quæſtione propoſitum, & nullam important oppoſitionem in ordine ad rectitudinem, de qua fit diſputatio; Quia in præſenti non diſputamus, neque examini ſubjicere intendimus, an melius, ſeu expedientius fuiſſet, vel non, tranſire ad ſecundas nuptias, ſed ſolùm inquirere intendimus, an benè, vel malè operatus fuerit noſter Venerabilis in contrahendo illas, & ſunt aſſumpta valdè differentia, & diſparata; & ſic eſt extra propoſitum, & materiam, de qua in præſenti agitur, adducere exceſſum perfectionis ſtatus liberi, facta comparatione cum ſtatu matrimoniali; adducere difficultates conſervandi caſtitatem, in quo ſe cuſtodierat, præſervatuſque fuerat in primo Matrimonio; & adducere in tali caſu conſilia, quæ aſſignat, & præbet Apoſtolus illi, qui liber remanſit ob mortem Uxoris; eò quia totum hoc deſumi poteſt tamquàm bonum antecedens ad inferendum, quòd ſi melioris conditionis eſt ſtatus vitæ liberæ, quàm ſubjectæ matrimoniali vinculo, & conjugali debito; de quo non eſt dubitandum; ſed improportionatum videtur ad deducendam aliquam illationem, per quam malæ reputandæ ſint ſecundæ nuptiæ noſtri Venerabilis, in quo præſens conſiſtit difficultas.

35 Sub hac conſideratione adæquatè ſatiſfit primis motivis ſecundo Matrimonio oppoſitis; eò quia etiam in hoc ſecundo Matrimonio remanſit contrahens cum eadem libertate, & facultate, cum qua primum contrahere valuit Matrimonium, abſque ulla contraventione alicujus legis; cùm nullum ſit præceptum prohibens Matrimonium, neque eſſe prohibitum illi, qui eſt in ſtatu libertatis tranſire ad ſecundas nuptias; Etſi ob hanc rationem licitus fuit primus contractus, non eſt differentis reputandus conditionis, ſecundus, in quo eadem concurrunt privilegia, quæ illum non reddunt vituperatione dignum.

36 In proteſtando è contra pericula, non ſervandi caſtitatem, & triumphum illam ſervaſſe periculo exponere, & totum id quod ſuperadditur, videlicet, velle Deum tentare, eligere medium tam improportionatum ad cuſtodiendam caſtitatem, eſt falſa objectio, & falſo laborat ſuppoſito, quia non valet ad concludendum, noſtrum Venerabilem peccaſſe in contrahendo ſecundas nuptias, ob motiva, quæ opponuntur; una ſemel quòd non ſupponatur ipſum fuiſſe adſtrictum ad obſervandam caſtitatem ob cauſam alicujus voti; Quia aliàs videtur im-

imperceptibile ei concedere libertatem contrahendi ſecundum Matrimonium, & in executione illum velle vituperare, in quo ipſimet Adverſarii ſibi contradicunt.

37 Non adeſt principium, neque propoſitio adeò ſtabilita, veluti illa, quæ ait, quòd ſubjectum habens libertatem ſuper aliquam rem faciendam, illam executioni mandare, ſit ſinè culpa, cùm executio cenſeatur actus dominii, in quo nulli gravamen infertur; & per conſequens non videtur rationabile, aliquem habere facultatem contrahendi, & ejus executionem eſſe culpabilem; & ſic implicat aſſerere noſtrum Venerabilem in contrahendo ſecundum Matrimonium, vi juris, & ratione legitimæ facultatis habitæ ad illud contrahendum, & malè poſtea egiſſe in aſſentiendo illi.

38 Non negamus, neque denegari poſſunt pericula fini contraria boni propoſiti, ſed advertendum eſt ea non fuiſſe pericula committendi aliquod peccatum, ſed ſolùm conſervandi caſtitatem, cujus inobſervantia, dum non adſit votum caſtitatis, non eſt peccatum in conjugatis; Et in hoc conſiſtit æquivocatio, ſeu fallacia argumenti confundentis iſtas difficultates, cum illis, quæ ſunt conditionatæ; quæ exponunt ſpirituali perditioni perſonas, quæ eas non evitant, & propriè vocantur occaſiones proximæ. Ulterius, quod ob obſervationem, ut nemini liceat ſibi eligere ſtatum, neque in animo concipere ad actum practicum devenire virtuoſarum actionum; eò quia ſtatus perfectiores non ſunt liberi à difficultatibus occurrentibus in exercitio virtutis, quale exercitium non aſſequitur ſinè labore neceſſario ob ſuperanda impedimenta, quæ impediunt executionem bonorum operum.

39 Cùm hoc eodem argumento reſpondetur ad extremum tentandi Deum, aut ut melius loquar, ad improprietatem exponendi hoc vitium in facto, de quo loquitur; quia cùm ſecundæ nuptiæ ſinè defectu, & ulla imperfectione fuiſſent, & honeſtiſſimum propoſitum ſervandi caſtitatem in ipſis, *ſi ei poſſibile foret*, eſt irrationabile aſſerere hunc operandi modum eſſe Deum tentare. Falſum eſt pariter, & mera inventio noſtrum Venerabilem caſtitatis amantiſſimum elegiſſe Matrimonium, tamquam medium ad illam ſervandam; & ratio vult, quod fateatur, ipſum Uxorem duxiſſe ob illos honeſtos fines, ad quos Matrimonii conducit beneficium; & perpendens non eſſe incompoſſibilem ſtatum caſtitatis cum ſtatu Matrimonii in Conjugatis, liberè, & ſpontè aſſentientibus ad illam ſervandam, emiſit propoſitum ſervandi illam; quod valdè differt aſſerere; ipſum reputaſſe Matrimonium, tamquam medium expediens ad caſtitatem ſervandam.

40 Neque ad inferendam culpam, aut imperfectionis notam in facto Venerabilis Apparitii, adducere valet D. Pauli Auctoritas, quin contra venire dicatur menti ejuſdem Apoſtoli, indubitabilibus principiis:

piis; cùm certum ſit, quòd eodem tempore, quo exhortabatur ad virginitatis ſtatum eliciendum, & non ſe Matrimonio ſubjugandum, conſilium præſtabat ad perfectiorem ſtatum eligendum, abſque eo quod illicitum reputaret Matrimonii contractum; Dicere enim volo, quod Apoſtolus proponebat tamquam meliorem, & perfectiorem ſtatum liberum, minimè tamen reprobando, & prohibendo ſtatum conjugalem; ſicuti ex ipſius depoſitione apparet: *Si autem acceperis Vxorem non peccaſti, & ſi nupſerit Virgo, non peccavit*. Et valdè diſtat à ratione, adducere culpam, aut imperfectionis notam ex hoc capite, noſtrum Venerabilem non fuiſſe ſecutum doctrinam, aut Apoſtoli conſilium, quando idem Apoſtolus illum à peccato defendit: *Si autem acceperis Vxorem non peccaſti*.

41 Id autem, quod poſtea deducitur in ordine ad id, quod reſpicit ſecundas nuptias, & quod de toto rigore tantùm dici poteſt, ipſum elegiſſe ſtatum minus perfectum, ſed minimè incurrendo in aliquam culpam, cùm eſſet licitus ſtatus, quem ſibi elegit. Neque aliquid aliud poteſt inferri à diviſione, aut à compartitione obſequii, & ſollicitudinis, quale obſequium, & ſollicitudinem erga Deum minimè impendere valeat integrè, & totaliter, qui alligatus Uxori, Matrimonii pondera ſenſit; quia hoc tantùm probat majorem libertatem, & commoditatem, quam habere potuiſſet noſter Venerabilis in totaliter ſe dicando Divino ſervitio, & obſequio extra ſtatum matrimonialem, ſed minimè tamen obligatus ad non poſſe ſibi eligere vitam conjugalem, eſtò minus liberam, & perfectam; quia aliàs ſequeretur nullatenus licitum eſſe in ſæculo vivere, & non ſibi eligere ſtatum religionis, qui ſtatus procul dubio minora habet impedimenta, & occaſiones dividendi ſollicitudinem, occupationem, & obſequia inter Deum, & mundum.

42 Propter quod remanet concludendum, Dominum Deum neminem obligare, nullamque à nobis petere ſollicitudinem, & occupationem, quam eam, quàm quiſque noſtrum ſervare debet in obſervantia divinorum Præceptorum; & dum S.D.M. inſtituit Matrimonium, certiſſimum eſt, quod ipſe non imputabit ad culpam illud contrahere, neque neminem conjugatorum redarguet de illa obſequii diviſione, cui neceſſitatem imponit ſtatus Matrimonii.

43 Et tandem ad id, quod adducitur in ordine ad innumera pericula ſponſarum ob cauſam concupiſcentiæ ſtimulorum, quorum fomitem adaugere ſolet cohabitatio cum Viris earum, pariter reſpondetur, negando talia adfuiſſe incentiva, ſeu concupiſcentiæ ſtimuli; quia cùm ipſæ nullum dediſſent, aut præmiſiſſent inditium, neque leviſſimum ſe malo animo perſeverare ſub tali vivendi norma, puta in ſtatu continentiæ, & caſtitatis cum earum Sponſo; validum poteſt confici argu-

men-

mentum, ad probandum, Divinam gratiam in ipſis cauſare tantam pacem, paſſionum concordiam, atque ſerenitatem; quia effectus adeò prodigioſus, & naturali uſui oppoſitus referri debet ad principium ſuperioris ordinis, ſeu ſupernaturale; & ſicuti hæc Matrimonia fuerunt ſingularia in ordine ad virtutis caſtitatis prærogativam, quam Conjuges habebant, validiora pariter ſunt motiva, ad ſuadendum ipſos habuiſſe ſpecialiſſimam Dei aſſiſtentiam, mediante ejus divina gratia, qua faciliora redduntur, quæ difficillima humanis viribus reputantur.

44 Huic ſuperadditur alius convincendi, & reſpondendi modus, qui correſpondet doctrinæ, de qua egimus in alia parte, & eſt adducere diſtinctionem inter pericula peccandi, & agendi rem aliquam, quæ neque in ſe mala, neque prohibita dicitur; in quo eſt manifeſtum, & notum diſcrimen, ſeu differentia; quoniam admittendo non adfuiſſe concupiſcentiæ incentiva, neque carnis ſtimuli vehementes, ſicuti de facto conſtat non adfuiſſe, ſed ſolùm quod eſſe potuiſſent, & ad hujuſmodi ſtimulos poſſibiles aderat occaſio naturaliter proxima; Reſpondetur negando ibi adeſſe periculum æternæ, & ſpiritualis ſalutis, ſed ſolùm adeſſe periculum ſe continendi à Thalamo; & in hoc manifeſtatur cautela, & circumſpectio, quam Venerabilis adhibebat in celebratione contractuum, quia non obſtante, quòd ſummoperè amaſſet caſtitatem, noluit ſe obligare legi, quæ ad peccatum adſtringeret ad illam ſervandam, ſolùm contentus, in emiſſione conditionati propoſiti, quod eum relinquebat in libertate præſtandi remedium imminenti periculo æternæ ſalutis, quod adeſſet ſibi, aut duabus ejus ſponſis.

45 Hæc reſponſio, quæ clara videtur, efficaciter ſolvit confirmationem fundatam in Authoritatibus Sanctorum Patrum; quoniam ſi in caſu, quem defendimus, nullum interfuit periculum, per conſequens, atteſtationes, & ipſorum ſententiæ de illo non loquuntur, neque cùm eorum defenditur doctrina. Sicque noſter Venerabilis Apparitius, & illius ſponſæ haberent facilem, & promptam defenſionem contra tentationum tempeſtates, in eventu, quod adfuiſſent. Et cùm mens Sanctorum Patrum ſit condemnare, & reprehendere familiaritatem, & conſuetudinem, periculoſiſſimis expoſitam tentationibus; eis fieret præjudicium, ſi non diſtinguerentur, aut exceptuarentur illorum ſententiæ, quæ non ſunt intelligendæ de commercio, & familiari conſuetudine, à qua Matrimonii libertas auferebat omne æternæ ſalutis, & animarum periculum.

46 In Concluſione, Eccleſiæ Patres, rationabiliter prohibent familiaritatem, & commercium, quod excuſari poteſt inter perſonas ſolutas, & diſſimilis ſexus, cùm ſit adeò periculoſum, ut nulla grandis poſſit adhiberi præcautio, ad evitandos fatales effectus, è contrario provenientes; ſed numquam in eorum mente fuit reprehendere, & vitupe-

tupe-

Digitized by Google

tuperare ſociabilem vitam inter Virum, & Uxorem, neque cenſurare caſta, & virginalia Matrimonia, quæ juxta eorum ſenſum laudibus æternis digna reputantur; quæque ſolùm à virtutis Herois in praxi inveniuntur; & Divina gratia ea recognoſcit tamquàm unum ex majoribus ſuis operibus. Ita ſentio. A S. Vincentio Salmanticæ.

*Magiſter Fr. Michael de Herce.*

---

## Ob rationem, quam in ſequenti ſua Fidei legalitate perhibet Notarius, non habet hìc locum alter Doctor ex dicta Univerſitate.

E*Go infraſcriptus Notarius Apoſtolicus, iſtius Almæ Univerſitatis Salmanticenſis Secretarius, fidem facio, & teſtimonium veridicum omnibus præſentes literas inſpecturis perhibeo, quatenus reſolutio dictæ Univerſitatis hìc appoſita à numero tertio, quod incipit:* Regi Catholico noſtro obtemperantes, *ſupra cauſam Ven. Fr. Sebaſtiani de Aparicio Ordinis Seraphici, fideliter concordat cum ſuo originali, prout habetur in Regeſto ejuſdem Univerſitatis, ad quod me remitto. In eadem forma; qua de jure requiritur, fidem facio, & teſtimonium perhibeo, quod tres Reverendiſſimi Patres, nempe Reverendiſſimus P. M. Fr. Petrus Manſo Auguſtinianus, Reverendiſſimus P. M. Fr. Michael de Herce Benedictinus, Reverendiſſimus P. M. Emmanuel Generelo, & Spinola Ordinis Clericorum Minorum, quorum ſuffragia hìc apponuntur, fuerunt ex Deputatis ab Univerſitate in Clauſtro pleno ad maturè, & seriò inveſtigandam quæſtionem de primis, & ſecundis nuptiis contractis à V. Fr. Sebaſtiano de Aparicio Ordinis Seraphici [dum liber eſſet] prout exigebat Catholici Regis Decretum ad hanc Univerſitatem directum. Iterumque fidem facio, & teſtimonium perhibeo, quod eorum ſuffragia Originalia vidi propria eorum manu firmata, quorum ſtemmata ſatis cognoſco, & cognovi; cum quibus ad literam concordant, quod in hoc codice impreſſa reperiuntur, quæ remanent in meo officio, ad quod me remitto. „ Excipio tamen ſuffragium Reverendiſs. P. M. „ Emmanuelis Generelo, & Spinola, cujus ſuffragium hìc appoſitum, „ tametſi ſatis prudenter judicare poſſum, quod cum originali concor„ dat, ex rationibus ſeriò perſuadentibus, originale tamen non vidi, „ quia, & in meo Officio non ſtat, & ipſe Reverendiſsimus longè ex„ tra Univerſitatem parat, muneri Provincialatus ſatisfaciens, in-*

*„ vi-*

„ viſendo ſuæ Provinciæ. Similiter teſtificor, quòd tres Reverendiſſimi PP. ſupradicti ſunt DD. & Cathedratici iſtius Univerſitatis: Reverendiſs. P.M. Fr. Petrus Manſo Ord. S. Auguſtini Calceati, Cathedraticus S. Thomæ: Reverendiſs. P. M. Fr. Michael de Herce Ord. S. Benedicti, & ſui Collegii Abbas, Cathedraticus Veſpertinus Theologiæ: Reverendiſs. P. M. Emmanuel Generelo, & Spinola, Cathedraticus Sacræ Scripturæ. Omnes gravitate, & auctoritate magna in hac Alma Univerſitate fulgentes. Ut ergo hìc contentis fides adhibeatur, tamquam ipſis originalibus à me viſis ad inſtantiam Seraphicæ Religionis præſens exhibeo teſtimonium mea manu firmatum ſigillo Univerſitatis munitum. Salmanticæ die 17. Decembris Anni Domini 1721.

Loco ✠ Sigilli.

*In Teſtimonium Veritatis.*

Didacus Garçia à Paredes Secret.

*Deus veritas eſt.*

*Nos infraſcripti publici Notarii Apoſtolici in hac Civitate Salmantina degentes fidem facimus, & teſtimonium perhibemus quatenus Stemma ſuprapoſitum, ſic ſubſcribens:* Didacus Garçia à Paredes, *Secretarius, eſt ejuſdem Didaci manu, & calamo exaratum. Qui quidem Secretarius eſt iſtius Salmanticenſis Univerſitatis fidelis, & legalis, omnique fide dignus: ſuis inſuper ſcriptis, & inſtrumentis ſemper exhibita fuit, & exhibetur integra fides, tam intrà quàm extra judicium. Sic teſtificamur. Salmanticæ die decimoſeptimo Menſis Decembris Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo primo. Ut ſupra.*

*In Teſtimonium Veritatis.*

Loco ✠ Sigilli.

Joannes Antonius Moreno Not. Apoſt.

*In Teſtimonium Veritatis.*

Loco ✠ Sigilli.

Antonius à Foncueva & Venero Not. Apoſt.

*In Teſtimonium Veritatis*

Loco ✠ Sigilli.

*In Domino confido.*

Didacus Garçia à Paredes Not. Apoſt. V. Secret.

RF-

Digitized by Google

# RESPONSIO

## SACRI THEOLOGORUM COLLEGII

### UNIVERSITATIS PATAVINÆ.

Die Sabbati 31. Januar. 1722. Paduæ in Aula S. Collegii.

*Convocatum, & congregatum fuit Sacrum DD. Theologorum Collegium; cui Reverendiſſimus, & Excellentiſſimus D. Bartholomæus Giuſtina Decanus expoſuit Factum tenoris ſequentis:*

Pyrauſta Vir eximiæ Virtutis &c. (*Prout extat ſub initio hujus libercul.*) Quo Facto ex libello typis impreſſo, & omnibus DD. Doctoribus diſtributo, recitato, & expoſito, fuit de mandato RR. DD. de Banca à me infraſcripto lecta petitio tenoris ſequentis: (*quæ quidem petitio hìc ex Idiomate Italico, pro communi intellectione, in latinum vertitur.*)

*Reverendiſſimi, & Excellentiſſimi Domini.*

UNiverſalis conceptus Virtutis, & Sapientiæ hujus S. Collegii compulit in Curia Romana intervenientes Beatificationi cujuſdam Venerabilis Servi Dei recurrere ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Card. Cornelium Noſtrum Epiſcopum, ad hoc ut dignetur eiſdem obtinere ab illo conſiderationem, & Votum ſuper quodam caſu, qui impreſſus exhibetur &c. Quo circa reflectens Eminentia ſua præſenti conjunctura in unum convenire, & major Dei gloria in operibus Servorum Suorum, & honor hujus S. Collegii repræſentare facit ipſi ſuam preſſuram, ad hoc ut modo illo, qui videbitur prudentiæ ipſius aptior &c. plena cum libertate ſit approbata illa cenſura, quæ judicabitur ſolidior fundamentis, & rationibus juſtior. Quam &c.

*Quibus perlectis, auditis, & intellectis, Reverendiſs. Dominus Decanus nomine totius Excellentiſſimæ Banchæ ex more in ſimilibus S. Collegii propoſuit Relatores caſus, & ſententiæ*

Reverendiſſimum, & Excellentiſſimum P. M. Hyacinthum Serry Doctorem Sorbonicum Ordinis Prædicatorum publicum in via D. Thomæ S. Theologiæ Profeſſorem.

Reverendiſſimum, & Excellentiſſimum P. M. Nicolaum Buico ordinis Min. Convent. publicum in via Scoti S. Theologiæ Profeſſorem.

Reverendiſſimum, & Excellentiſſimum P. M. Hyacinthum Felicem Mazzucchium Ordinis Prædicatorum publicum in via D. Thomæ Metaphyſices Profeſſorem.

Reverendiſſimum, & Excellentiſſimum P. M. Alexandrum Burgos Ordinis Min. Convent. publicum in via Scoti Metaphyſices, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſorem.

Reverendiſſimum, & Excellentiſſimum D. Jo: Antonium Urſatum Monachum Caſſinen. publicum Sacror. Bibliorum Interpretem.

Reverendiſſimum, & Excellentiſſimum D. Michaelem Viero publicum Philoſophiæ Profeſſorem.

Excellentiſſimum Antonium Zenum Rectorem Parochialis Eccleſiæ S. Cantiani hujus Civitatis.

Excellentiſſimum D. M. Antonium Yrivellatum, omnes ex hoc S. Collegio.

*Qui per totius S. Collegii acclamationem fuerunt approbati, & fuit decretum, ut ultimo menſis Februarii ſequentis die, niſi prius S. Collegium aliqua alia occaſione convocetur, ad idem S. Collegium hac de cauſa convocandum ſuas opiniones referant, quibus judicium ſuum, ac ſententiam perferre, & Procuratori Cauſæ aperire ordine poſſit idem S. Collegium.*

Cæteris omiſſis &c.

*Petrus Leſſius J.V.D. Cancellarius Epiſcopalis Notar. S. Collegii.*

## IN CHRISTI NOMINE AMEN.

Anno ab ejuſdem Nativitate 1722. Indictione xv. die verò Veneris 15. menſis Maji. Paduæ in Aula S. Collegii.

*Coram Nob. & Reverendiſſimo D. Petro Antonio Corneaneo V. J. D. Archidiacono Patavino, & in Epiſcopatu Paduæ Vicario in ſpiritualibus, & temporalibus Generali &c. Convocatum, & congregatum fuit S. DD. Theologorum Collegium, in quo* cæteris omiſſis &c.

REverendiſſimus Dominus Decanus repetita coram S. Collegio mentione hucuſque Actorum in cauſa Pyrauſtæ, mandavit mihi infraſcripto publicè recitare ſequentia, ex quibus idem S. Collegium ſuper eadem cauſa deliberaret.

Quoniam nullus ex DD. à S. Collegio deputatis ad referendum in cauſa Pyrauſtæ de duplicis ab eodem contracti per vices Matrimonii va-

validitate dubitat: Hoc unum propterea, Reverendiſſimi, & Excellentiſſimi PP. à vobis modò quæritur: an Pyrauſta iis contrahendis benè ſe geſſerit, & heroicæ virtutis actus perfecerit?

Qua in quęſtione tres ab iiſdem DD. Relatoribus afferũtur opiniones.

Prima eſt, qua aſſeritur: Pyrauſtam non benè ſe geſſiſſe, nec idcirco heroicæ virtutis actus perfeciſſe.

Secunda eſt, qua aſſeritur: Pyrauſtam prudenter ſe geſſiſſe, & heroicæ virtutis actus perfeciſſe.

Tertia eſt, qua aſſeritur: Pyrauſtam prudenter ſe geſſiſſe, ſed imperfectè, neque conſtare heroicæ virtutis actus perfeciſſe.

Ex his itaque tribus opinionibus quænam vobis magis arrideat ſecretis ſuffragiis veſtris, Reverendiſſimi, & Excellentiſſimi PP. eligite, & explicite, ſcientes eam cenſeri debere vobis probatam, quæ pluribus ſupra medietatem ſuffragiis recepta fuerit.

Itaque urnulis circumlatis, collectiſque ſuffragiis, reperta ſunt

| | |
|---|---|
| Pro prima Opinione | ( Favorabilia decem, & ſeptem 17.<br>( Contraria quinquaginta quinque 55. |
| Pro ſecunda | ( Favorabilia quadraginta quinque 45.<br>( Contraria viginti ſeptem 27. |
| Pro tertia | ( Favorabilia quindecim 15.<br>( Contraria quinquaginta ſeptem 57. |

## Probata itaque fuit S. Collegio Opinio ſecunda.

*Petrus Leſſius J.V.D. Cancellarius Epiſcopalis Notar. S.Collegii.*

*Concordant hæc omnia cum ſuis exemplaribus deſcriptis in libris Actorum S.Collegii Patavini DD.Theologorum apud me exiſtente. Ita eſt. Petrus Leſſius J.V.D. Cancellarius Epiſcopalis Paduæ Notarius S. Collegii. Hac die Lunæ* 18. *menſis Maji anno* 1722.

*Georgius Miſeratione Divina Baſil. SS. Duodecim Apoſtolorum S. R. E. Preſbyter Cardinalis Cornelius Epiſcopus Patavinus, Comeſque Saccen. &c.*

*Univerſis fidem facimus, & atteſtamur ſupradicta exempla eſſe concordata, & ſubſcripta manu propria Reverendiſſimi D. Petri Leſſii eumque eſſe qualem ſe fecit, ac fide dignum. In quorum &c.*

*Datum Paduæ in Cancellaria Epiſcopali die* 18. *menſis Maji* 1722.

Loco ✠ Sigilli.

*Sebaſtianus Cappello J.V.D. Notar. Epiſcopalis.*

RE-

# RELATIO CENSORIA

Rm̃i, & Excm̃i P. Magiſtri

# NICOLAI BUICO

## DE SPINAZZOLA

*Min. Conv. & pro Scoti Doctrina Theologi Primarii;*

✠

Excellentiſſimis, & Reverendiſſimis Patribus

## SACRI THEOLOGORUM COLLEGII

*Proponuntur rationes, & argumenta, quibus, nedum valida oſtenduntur duo Matrimonia à Viro Dei PYRAUSTA contracta, ſed etiam demonſtratur eumdem in illis duobus prudentiſſimè ſe geſſiſſe, & heroicum in virtute prudentiæ attigiſſe.*

PRo quo nihil duxi præmittendum, per quod animos veſtros reddam benevolos, dociles, & attentos; quoniam de primo mihi non dubitandum; cùm pluries, & pluries de veſtra in me benevolentia non obſcura ſenſerim teſtimonia; fruſtra quoque moram traherem in ſecundo; nam res, de qua agitur ob ſuum graviſſimum, & ſingulare, omnium ferè Chriſtiani Orbis aures implevit; de tertio eſſet aliquid ſuſpicandum, qua tenue, & imbecille meum agnoſco, non qua amplum, atque profundum veſtræ humanitatis intueor, cui fretus attentionem omnem præſtandam mihi polliceor, præſertim, cùm meum ineptum ſit brevitate penſandum.

2 Igitur quocumque eloquentiæ telo diſcinctus primam partem aggredior de validitate Matrimonii utriuſque à Pyrauſta contracti; & ſpondeo in reſolvendo me numquam receſſurus à verbis, & circumſtantiis, ut in propoſito dubio ſcripta ſunt, & ſignificant.

3 Id primo conatu fideliter præſto; nam ad verbum tranſcripſi par-

tem

Digitized by Google

tem hanc, quæ in narratione, ſeu propoſitione dubii ſic eſt: *Sociam ſibi quærere cogitavit, talem quidem, uti dictitabat, cum qua, ſi poſſibile afforet, vivere liceret in caſto, & virginali connubio ad inſtar S. Patriarchæ Joſeph cum Sanctiſſima Sponſa Virgine Deipara, &c.*

4 Expendo nunc conditionalem illam [ ſi poſſibile afforet ] & tanti ponderis eam adverto, ut mihi ſit via planiſſima ad oſtendendum in Pyrauſta potuiſſe conciliari totam ſubſtantiam, vel eſſentiam Matrimonii non ſecluſa aliqua voluntate formali ad copulam conjugalem ſimul cum propoſito virginitatis perpetuæ. Id exemplo mercatoris periculoſa tempeſtate jactari demonſtro; hic enim eſtò intenderet principaliter à jactu ſuas merces eripere; tamen, quia cum hac intentione conjungit conditionem hanc [ ſi hoc erit poſſibile ]; ideo cum intentione abſoluta ſalvandi merces voluntatem quoque conditionatam adnectit; qua, ſi urgeat, impellatque diſcrimen vitæ, atque naufragii, vult quoque conditionatè projicere merces ſuas. Pyrauſta noſter in utroque conjugio hanc conditionem appoſuit, & expreſſit [ ſi poſſibile afforet ]; & hoc poſſibile, nedum ſonat poſſibile phyſicum in voluntate, quæ carere potuit actu imperante, & applicante potentias ſenſitivas ad actum copulæ, ſed etiam morale poſſibile, quod primò includit: ſi Deus illa auxilia, quæ aliis vicibus in conflictibus contra Venerea largè præſtitit, nunc quoque præſtabit; ſi graviſſimæ tentationes, quibus gratia par non eſſet, non pulſabunt, ſi ſuis Conjugibus debitum non petituris, nec voce, nec ſigno, vel ſaltem mœrore aliquo, & virginitatem viri, & ſuam æquo animo toleraturis; ſi ipſe Conjuges promiſſis, precibus, & documentis ſint adducendæ, ut matrimonialem voluptatem hilariter fugiant, imò abhorreant, veluti factum eſt à Nereo, & Achilleo cum Domitilla jam deſponſata; ſanè his, aliiſque conditionibus ſublatis habuit Pyrauſta voluntatem conditionatam ad copulam. Hinc fit, ut etiam ſi ad eſſentiam Matrimonii requiratur voluntas formalis ad copulam, jam in duobus Pyrauſtæ conjugiis, in quibus voluntatem ſervandi virginitatem perpetuam modificavit illâ conditione [ ſi poſſibile afforet ] reperta eſt etiam voluntas formalis, conditionata tamen ad copulam.

5 Ad id evincendum, & manifeſtiùs declarandum, Scoti doctrinam in 4. d. 30. q.2. C. erutam ex c. Commiſſum de ſponſalibus in medium afferre non pigeat. Docet igitur Scotus juxta Canonem allegatum in contractu Matrimonii mutuam eſſe traditionem corporum ad copulam carnalem cum conditione ſaltem implicita, ſi petatur. Hinc fit contrahentes cum propoſito ſtatim vovendi caſtitatem verè contrahere, & conditionem hanc de copulæ voto caſtitatis voto non præjudicare, poſito etiam contractu Matrimonii, niſi illa, ideſt copula in effectu ponatur. Per hanc doctrinam, ferè ad verbum, ex cit. capite hauſtam

ſal-

ſalvat Scotus inter B. Virginem, & D. Joſeph verum Matrimonium extitiſſe abſque copula actuali; quia eſtò Maria Virgo voverat caſtitatem, tamen ſibi fuerat revelatum non commiſcendam fore cum Joſeph; & ſimul habere potuit intentionem copulæ implicitam, atque conditionatam, ſi, ſcilicet, petatur. Conditionalis allata ſolùm per collectionem, & opinando à Scoto, aliiſque Doctoribus in Matrimonio Deiparæ eſt aſſerta, cùm nuſquam in Sacro Textu habeatur expreſſa. At noſter Pyrauſta expreſſit ſatis ſuperque voluntatem conditionatam in copulam, dum dixit, & proteſtatus eſt ſe victurum in caſtitate cum nova nupta, ſi poſſibile afforet; quod infert poſſibilitate ſublata ſe deſcenſurum in copulam.

6 Solidatur id magis per factum, quod narratur in c. Commiſſum de Sponſalibus, de quodam, qui cum juramento promiſerat Matrimonium, & poſtea hic ductus Spiritu altiori in religionem voluit commigrare. De hoc viro legitur ſtatutum ibidem, ut priùs contraheret Matrimonium, deinde in religionem ingrederetur. Reor ego contrahentem hunc vix habuiſſe voluntatem conditionalem, & remotiſſimam ad copulam, quia per ingreſſum ad Religionem imminentem illa ſibi præcludebatur omninò. Quo tamen nihil obſtante, ob reverentiam juramenti, quo ſe obligaverat ad Matrimonium, coactus eſt priùs contrahere Matrimonium, quàm Religionem ingrederetur.

7 In hoc facto debet eſſe certiſſimum Matrimonium illud juſſum contrahi ab Eccleſia non fuiſſe invalidum, ſed verum, legitimum, & etiam Sacramentum; at in eo alia voluntas conditionalis virtualis, vel implicita excogitari non poteſt, quàm illa, quam remotiſſimam dixi, puta ſi contrahens ille poſt initum Matrimonium revocaſſet propoſitum ingrediendi Religionem: tunc tenuitate intentionis hujus ad copulam nihil obſtante validum, & verum fuit Matrimonium, aliter Eccleſia præcepiſſet fieri aliquod invalidum, & Sacramento prorſus injurioſum.

8 Fuit reſponſum ad hoc ineluctabile argumentum per juramentum Matrimonium illud, alioquin invalidum ex ſui natura, redditum fuiſſe validum.

9 Sed quis unquam audivit doctrinam huic ſimilem? Juramentum hoc defert, ut ea, quæ dicuntur, vel promittuntur, ſi vera ſunt, legitimèque promiſſa, magis firmentur in veritate, & tutiora reddantur; numquam verò juramentum virtutem hanc habet, ut contractum aliquem ex ſe invalidum traducat ad validum. Hoc patet in contractibus quibuſcumque juratis; præſertim in illo donationis, quæ fit ab impuberi; hæc enim eſtò jurata, tamen à jure reſcinditur. Item ſi quis duo iniret ſponſalia, & prima non eſſent jurata, ſecunda verò cum juramento, in caſu hoc Jura, Doctoreſque definiunt ſtandum eſſe prioribus ſponſalibus non juratis. En quomodò juramentum roborat quidem

dem, firmatque contractum, non verò de invalido poteſt validum reddere. Ex infirmitate igitur mox confutatæ reſponſionis evidentiſſimum fit quanti roboris ſit argumentum ex c. Commiſſum de ſponſalibus depromptum.

10 Patet etiam quantum illud faveat noſtro invicto Pyrauſtæ; nam duo Matrimonia Pyraûſtana eſtò præceſſerit propoſitum continentiæ, tamen præceſſit quoque conditionalis illa [ ſi poſſibile afforet ] in qua includitur voluntas aliqua ſaltem virtualis ad copulam.

11 Hæc voluntas virtualis, vel implicita ſatis eſt ad Matrimonii ſubſtantiam, & eſſentiam; & id, nedum Scotus aſſeverat, innumerique cum eo Doctores, ſed præ cæteris D. Thom. in 4. d. 30. q. pr. art. 2. quæſt. 2, ubi docet *Beatam Virginem implicitè in copulam conſenſiſſe, at copulam numquam fuiſſe in propoſito, erat enim Maria à Deo facta certior copulam numquam ſubſecuturam*.

12 Prætereà valde notandum illos, qui contrahunt cum intentione determinata ingrediendi Religionem, & ſic exequuntur, verè legitimèque contrahere Matrimonium, & tamen iſti nullam habent intentionem actualem ad copulam, imò habent actualem contrariam. Iſti ergo intantum validè contrahunt, quia per Matrimonium contraxerunt obligationem ad copulam; & ſi tales contrahentes privilegio diſpenſationis divinæ non utantur, tenentur exequi id, ad quod per Matrimonium ſe obligarunt; fieri namque poteſt, ut quando contrahunt, mutent voluntatem, qua voluerunt Religionem; & tunc tenebuntur reddere debitum, & copulam exercere: hæc verò ad copulam obligatio ortum duxit ex Matrimonio. Quocirca fit evidens contrahentem cum intentione ad Religionem, habere intentionem implicitam ad copulam eandem. Hanc quoque intentionem habent, qui ſe ſteriles eſſe norunt, & virtute talis intentionis validè contrahunt Matrimonia. Noſter vero Pyrauſta ponendo conditionem illam [ ſi poſſibile afforet ] apertius viſus eſt copulam voluiſſe, nam poſſibilitatis conditione ſublata ad copulam deſcendiſſet.

13 Moneo nunc negantes validum in Matrimoniis Pyrauſtanis prætextu propoſiti de virginitate ſervanda demoliri etiam, & fortius Matrimonium Joſephi cum Deipara; in hoc enim quoque præceſſit votum Hebræis puellis inſolitum de virginitate ſervanda; & tamen duce Magiſtro Sententiarum in 4. Senten. Theologi omnes docent fuiſſe veriſſimum Matrimonium: prius etiam hoc idem docuerat Auguſtinus, qui in c. Beata Maria relatus dicit: *inter Mariam, & Joſeph fuiſſe conſenſum cohabitandi, & individuam vitæ conſuetudinem retinendi, & eos verè conjuges extitiſſe*. Hoc idem habetur ex c. omnis itaque 27. q.2. Denique Gabriel Angelus teſtatus eſt, dum dixit Joſeph: *Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*. Eſt autem contra uſum com-



Digitized by Google

munem loquendi eos conjuges nuncupare, qui Matrimonium de præſenti non contraxerunt; conjugium namque ab unitate jugi, & vitæ maris, & fœminæ eſt derivatum. Meritò dixi negantes validitatem in Pyrauſtæ conjugiis fortiùs demoliri conjugium Mariæ cum Joſeph; quia Matrimonium plus videtur repugnare cum voto virginitatis perpetuæ, quàm cum ſimplici ejuſdem propoſito; & Pyrauſta non votum, ſed propoſitum ſimplex de virginitate ſervanda in ſuis conjugiis ſolùm præmiſit.

14 Magis, magiſque validatur Scoti, & D. Thom. Sentent. per id, quod habetur ex. de verborum ſignificat. c. exiit, & eſt hodie in 6. lib. ubi, dicitur ſententialiter, retento dominio concedere aliis uſum non eſt inutile, quia uſus ille neceſſarius eſt utentibus. Per hanc doctrinam evincitur ſaltem dominium, & uſum ſeparabilia eſſe inter ſe; dixi [ ſaltem; nam ut Scotus ] monet, licèt poſſit retineri dominium uſu translato; tamen non videtur magis fieri poſſe, ut transferatur dominium uſu ſolo retento, & hoc accideret in Matrimoniis Pyrauſtanis, in quibus Pyrauſta per Matrimonia tranſtuliſſet dominium ſui corporis in ſuas Conjuges, & retinuiſſet ſibi uſum per propoſitum virginitatis ſervandæ; docet ergo Scotus per allatum Canonem ſolùm evinci alicui poſſe competere unum illorum, non verò alterum; At quod poſſit retineri uſus translato dominio probatur per illud c. Commiſſum de ſponſalibus, ubi præcipitur illi, qui ſponſalia jurata contraxerat, & poſtea votum, vel propoſitum emiſerat ingrediendi Religionem, ut priùs contraheret Matrimonium, & poſtea religionem ingrederetur. In hoc facto clariſſimè apparet translatum fuiſſe dominium ſui corporis per Matrimonium, & uſum fuiſſe retentum per votum, ſive propoſitum.

15 Addit Scotus adulteram, quæ habet poteſtatem in corpus legitimi conjugis, quia illa data fuit ſibi per Matrimonium, & indefectibiliter; tamen non debet, nec poteſt habere uſum corporis illius propter peccatum ſuum. Sed hoc quoque probat poſſe retineri dominium amiſſo uſu, non autem è contra; & ideò doctrina hac de adultera ſolùm probat illa duo eſſe ſeparabilia inter ſe; & illa ſola ratio ex c. Commiſſum probat poſſe transferri dominium uſu retento.

16 Rurſus validitas Matrimoniorum Pyrauſtæ probatur per illud, quod habentur in c. Beata Maria 27. q. 2. & eſt Auguſtini, in quo ſic: *Beata Maria propoſuit ſe obſervaturam votum virginitatis in corde, ſed ipſum votum virginitatis non expreſſit ore: ſubjecit ſe divinæ diſpoſitioni, dum propoſuit ſe perſeveraturam Virginem, niſi Deus aliter revelaret; committens ergo virginitatem ſuam divinæ diſpoſitioni conſenſit in carnalem copulam: non illam appetendo, ſed divinæ inſpirationi in utroque obediendo.* At ajo ego, Pyrauſta non ſolùm corde, ſed etiam ore ſe divinæ diſpoſitioni ſubjecit; nam non ſemel, ſed ſæpius indi-

catum per verbum frequentativum, dictitabat, conditionem illam [ ſi poſſibile afforet ] appoſuit, & per conditionem hanc quis non videt eum in carnalem copulam conſenſiſſe ? & quis non videt eundem non appetendo carnalem copulam, ſed divinæ inſpirationi in utroque obediendo ſic conſenſiſſe ? hoc patet, quia faciendo virginitatis propoſitum, illam certè non concupivit, ſed refutavit; motivum verò altiſſimum, quo motus eſt Pyrauſta ad duo Matrimonia contrahenda ad ſimilitudinem Matrimonii Deiparæ cum D. Joſeph, & fœliciſſimus ſecutus eventus ſatis monſtrant non temere, ſed Deo ſpecialiſſimè inſpirante fuiſſe permotum.

17 In allegata Auguſtini ſententia notetur particula illa [ *niſi Deus aliter revelaret,* ] quæ indicat conditionatè Mariam Virginem in copulam conſenſiſſe; & erubeſcant irriſores Scoti, & D. Thomæ ſubtilitatum, qui dum docuere voluntatem conditionatam implicitam, vel virtualem ad copulam ſufficere ad faciendum validum Matrimonium, hanc doctrinam hauſerunt ex Auguſtino; & ideo D. Thom. in art. pr. cit. dixit: *Virginem implicitè in copulam conſenſiſſe*: imo in art. 3. ejuſdem quæſt. 2. ait *ſinè hac implicita voluntate Matrimonium non poſſe conſiſtere*.

18 Hæc etiam fuit doctrina Doctoris Seraphici in 4. diſt. 30. part. pr. quæſt. 2. Nec ſequitur in Pyrauſta fuiſſe duas voluntates contrarias, quod nimis repugnat; nam tunc duæ voluntates ſolùm ſunt repugnantes circa duo objecta, contraria quando ambæ ſunt actuales, & abſolutæ, non verò quando una eſt abſoluta, altera verò conditionalis; & ſic in Pyrauſta fuit voluntas abſoluta, & efficax virginitatem ſervandi; & cum hac potuit conjungi quoque conditionata voluntas ad copulam, quæ fuit expreſſa per illa verba [ ſi ſibi poſſibile afforet ]; & ideo illæ duæ voluntates, quæ videntur contrariæ non repugnarunt in eodem Pyrauſta, velut ſimiles voluntates in eodem Mercatore non pugnant, dum vult, quantum in ſe eſt ſalvas facere merces, & vult conditionatè eaſdem projicere, ſi ſcilicet vitæ periculum urgeat, & impellat.

19 Denique accedo ad Achillem adverſantium profligandum, & eſt ex c. finali de conditionibus appoſitis, in quo ſic habetur: *Si conditiones contra ſubſtantiam Matrimonii inſerantur, quia ſi alter dicat alteri, contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas*: hæ conditiones ex cit. cap. invalidant Matrimonium, quia ſunt contra ſubſtantiam Matrimonii. Simile quid cenſuit D. Auguſtinus in lib. de bono conjugali cap. 5. & adducitur in 32. q. 2. cap. ſolet; ſed Pyrauſta præmittendo virginitatis propoſitum, voluit aliquod contra ſubſtantiam Matrimonii, quia voluit ne proles ſequeretur ex Matrimonio; inde ſequitur ejus Matrimonia fuiſſe prorſus invalida.

20 Ad id dico aliud eſſe velle obligationem ad prolem, & ad fidelitatem, & vinculum, & aliud eſſe velle illam non obſervare in executione, & quoad effectum. Iſtæ duæ intentiones inter ſe non repugnant, ſicut non repugnant hæ duæ conſimiles, velle eſſe Chriſtianum, & velle non obſervare; hæc enim ſecunda non pugnat cum vero Baptiſmo, veroque Chriſtiano, etiam ſi hic intenderet nihil credere de articulis Fidei, poſtquam habuit intentionem ſuſcipiendi verum Baptiſma, & fieri voluit verè Chriſtianus. Hac præmiſſa doctrina facillimè fortiſſimus Achilles ille proſternitur; nam uti patet ex modo narrandi, qui fit in allato Textu, illi, qui inducuntur apponentes conditiones allatas, nullam intendunt obligationem ſubire: hoc patet; nedum quia dicitur: ſi conditiones contra ſubſtantiam inſerantur, ſed etiam, quia in una conditionum ſic eſt: ***vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem***: per quod apertè indicatur contrahentem nullam velle ſuſcipere obligationem, ad indiſſolubilitatem, & Sacramentum. Secus ſe geſſit prudentiſſimus noſter Pyrauſta, nam primò ſibi ſociam quærere cogitavit, ſed cum qua vivere liceret in caſto, & virginali conjugio ad inſtar Sancti &c. En volendo conjugium, voluit quoque quamlibet obligationem neceſſariò ſequentem ad Matrimonium: tum quia per conditionem appoſitam intelligitur voluiſſe intentione aliqua formali, conditionatè tamen, etiam copulam maritalem. At quia propoſuit vivere cum ſua Conjuge ad ſimilitudinem Mariæ cum Joſeph; ideo ſolùm non voluit executionem, & effectum obligationis illius.

21 Et ſanè ſi nullum hæc mea diſtinctio robur haberet, ruerent omnia Matrimonia, quæ à Sanctis Viris, & fœminis in Orbe Chriſtiano, nedum cum propoſito, ſed cum voto ſervandi virginitatem contracta ſunt.

22 Idem dicendum, & reſpondendum ad Auguſtinum citatum in argumento loqui, ſcilicet de iis, qui nullam habuerunt voluntatem ad obligationem ad copulam, non verò de iis, qui non voluerunt executionem obligationis illius. Si verò adducatur idem Auguſtinus lib. 19. contra Manichęos, ubi ait ***Matrimonium inde appellari, quia fœmina nubit, ut mater filiorum efficiatur***, quod nequit haberi, niſi intendatur copula ejus cum viro; hoc nihil obſtat, quia Auguſtinus innuere ſolum voluit in Matrimonio acquiri à contrahentibus dominium mutuum in ſua corpora in ordine ad copulam carnalem; cum ratio Matrimonii ſita ſit in tradendo tantum jus, & poteſtatem ad copulam; & in tali traditione liberâ includitur quoque conſenſus implicitus, & virtualis ad copulam. Beccanus verò, Caſpenſis, Petrus Lebatus, aliique recentiores ſuſtinent hunc conſenſum implicitum, per quem contrahentes feruntur in copulam, intelligendum eſſe ex parte contractus, non contrahentium.

23 Eſt adhuc inſtantia diſſolvenda, nam in relato cap. fin. de conditionibus oppoſitis; hæc eſt conditio; ſi generationem prolis evites; at ſi ante Matrimonium contractum paciſcerentur ſponſi de voto virginitatis ſervandæ jam quoque pactum inirent, & conditionem apponerent de generatione prolis vitanda; ideoque conditio voti, vel propoſiti de virginitate eſt quoque contra ſubſtantiam Matrimonii; atque ſimiliter reddit irritum Matrimonium.

24 Eſt plana reſponſio ad hanc inſtantiam, nam Pontifex in cap. illo intelligitur de generatione impedienda, ſed tamen copulam exercendo, quæ quidem conditio eſt contra ſubſtantiam Matrimonii; eſſentiale enim eſt Matrimonio, ut Conjuges ſubeant obligationem non impediendi prolem in copula conjugali, & educandi naſcentem; unde ſi contrahentes ad id ſe non obligandi haberent intentionem, & animum, aut obligandi ſe ad oppoſitum, ſcilicet ad ſumenda venena, quæ ſterilitatem inducant, aut enecandi naſcentem, utique eſſet irritum Matrimonium, quia contractum fuiſſet cum conditione, quæ eſt contra ſubſtantiam Matrimonii. At Matrimonia duo Pyrauſtæ cum virginitatis propoſito excludebant uſum dominii, & poteſtatis, qui uſus non eſt de eſſentia Matrimonii, cum Conjuges illo ſe valeant perpetuò abdicere, poſtquam contractum eſt Matrimonium, quia non eſt de ſubſtantia Matrimonii, non verò excludebant dominium, & poteſtatem, nec obligationem, quæ ſit de eſſentia Matrimonii. Tum quia Matrimonia Pyrauſtæ fuere cum propoſito conditionato virginitatis conjuncta, & ideo [ut dixi ſuperiùs] involvebant aliquam voluntatem formalem conditionatam ad copulam.

25 Nolo omittere hîc, quod fuit à P. Theologo uno bis, terque pronunciatum, nedum in primo, ſed etiam in ſecundo congreſſu, & eſt, tunc virginitatis propoſitum ſtare poſſe cum Matrimonio, cùm ſequitur Matrimonium jam contractum; cùm verò antecedit, tunc ſemper deſtruere Matrimonium.

26 At hæc doctrina nedum deſtruit Matrimonium Deiparæ cum D. Joſeph, in quo Maria longè ante contractum, votum virginitatis emiſerat, ſed etiam illud, quod retuli ex c. Commiſſum, in quo ille, qui juramento ſpoponderat Matrimonium, & poſtea voluit ingredi Religionem, coactus eſt prius contrahere Matrimonium, & poſtea ingredi Religionem. In hoc quis non videt propoſitum, ſeu votum de Religione præceſſiſſe. Et licèt 27. qu. 1. c. nubentes habeatur *voventes continentiam non poſſe nubere*; tamen ibidem cap. nuptiarum, & c. quidam, &c. ſi vir definitur *ſi nubant, non ſeparentur*. Deſtruerentur etiam omnia Matrimonia, quæ ab Eccleſia permittuntur contrahi ab iis, qui mox ſunt ingreſſuri Religionem. Demum lex illa eſt de voto, non de propoſito.

Pru-

*Prudentia ſumma Pyrauſtæ in duobus Matrimoniis propugnatur.*

27 HÆc prudentia poteſt primò firmari per conditionem, quam Pyrauſta propoſito virginitatis adjecit [ ſi poſſibile afforet ]; per hanc enim oſtendit ſe non certitudinem infallibilem de futuris divinis auxiliis præſumpſiſſe, ſed memorem illius Apoſtolici moniti: *Qui ſtat, videat ne cadat*; voluiſſe conditionatè tanto æquori ſe committere; nam ſi virginitatis perpetuæ propoſitum non ſibi cum ſperata felicitate ceſſiſſet; nullius temeritatis, imprudentiæ, inconſtantiæ fuiſſet notâ culpandus.

28 Et revera prudentiſſimi Viri, atque ſenſati, qui probè norunt numerum ſinè numero impedimentorum, per quæ poſſint impediri promiſſionum effectus, quando promittunt, ferè ſemper cum conditione promittunt. Ex quo fit, ut ſi conditione non poſita promittens promiſſa non impleat, nullius culpæ ſit reus, nec obligatione aliqua teneatur.

29 Jam dixi conditionem illam [ ſi poſſibile afforet ] ad moraliter quoque poſſibile extendendam; nullo enim reſtringente, aut ad minorem ſignificationem trahente addito eſt coarctata poſſibilitatis illa conditio: imo ſi aliqua eſt in illo poſſibili adſtruenda reſtrictio, exiſtimandum eſt Pyrauſtam ſibi proponentem Objectum, tam pium, ſanctum, & tam arduum ad illum præcipuè ſuum direxiſſe poſſibile, qui dixit: *ſinè me nihil poteſtis facere*. Quare ſi Deus Pyrauſtæ ſperata denegaſſet auxilia, quæ *ſingulis dat prout vult*, & Pyrauſta in maritalem copulam deſcendiſſet; neminem puto tam diſtricti rigoris futurum, qui in Pyrauſtæ propoſito levitatem, & imprudentiam accuſaſſet; nam Pyrauſta conditione ampliſſima non reſtrictæ poſſibilitatis ſe ante muniverat. Quo circa, veluti quis alteri pollicens donum, & mutuum ſub hac eadem conditione, ſi mihi erit poſſibile, ſi poſtea impoſſibilitate id prohibente non det mutuum, neque donum, nullius imprudentiæ, aut levitatis ſit reus; ſic Pyrauſta, quia fuiſet conſuetis divinis auxiliis deſtitutus, vel quia hæc eadem non fuiſſent ſuis communicata Conjugibus ad annuendum viri propoſito; vel quia in viro, atque conjugibus tentationes validiſſimæ, & inſuperabiles emerſiſſent, vel aliis occurrentibus impedimentis non vincibilibus, quæ numerari non poſſunt; ſi Matrimonium conſummaſſet, vituperandus non eſſet, quaſi ſe geſſiſſet imprudenter, & leviter in faciendo propoſitum; quia conditionatè illud ediderat; quin potius commendandus eſſet ut prudens, & providus; quia ſagaciſſimè prævidiſſet à quot, & quantis poterat impedimentis urgeri, & ideo maluit conditionatè, quàm abſolutè ſuum efferre propoſitum.



Digitized by Google

30 Eant nunc criminantes in probo, & prudente Pyrauſta peccandi periculum, cui ſe per propoſitum virginitatis expoſuit; nam inveniri non poteſt tale peccatum, de quo potuiſſet eſſe periculum; non enim peccaſſet, quia propoſito non ſtetiſſet; nam propoſitum conditionatum, non abſolutum hoc fuit; nec peccaſſet in copula exercenda, quia vi conjugii præcedentis illa ſibi non fuit illicita. Fuit dictum in primo congreſſu habito ab octo Theologis ideo ſe expoſuiſſe peccandi periculo, quia Pyrauſta aggreſſus eſt opus arduum, perdifficile, & omnino ſuperans humanas vires; & cùm ego ſubjeciſſem tot Martyres, qui tormentorum, & mortis arduo nihil obſtante ſe ſponte obtulerunt Tyrannis, & Fidem Chriſtianam propugnaverunt, & defenderunt, non rogati, nec requiſiti, præ cæteris Georgius, & inviĉtiſſima Catharina; nec tamen iſti Martyres ſe expoſuerunt peccandi periculo ob hoc, quia ſe liberè obtulerunt operi, & facto, nimis arduo; cùm tamen aliqui, inter quos Marcellinus Summus Pontifex, vi tormentorum adacti fidem negarunt, & coluerunt Idola Gentium.

31 Reſponſum fuit ab uno diſparem eſſe rationem inter bonos Martyres, & Pyrauſtam, quia tormenta ab alio, ſcilicet à Tyranno erant inferenda Martyribus; ſed Pyrauſta ipſemet erat, qui erat deſcenſurus in copulam; & ipſemet fuit, qui per duo conjugia ſe expoſuit periculo fruſtrandi virginitatis propoſitum.

32 At licet Martyr ab alio debebat pati mortem, atque tormenta; tamen ſi metu victus fidem negaſſet, ipſe Martyr fuiſſet ille, qui ſe hujus peccati periculo expoſuiſſet, dum ſua confeſſione irritaſſet Tyrannum, coram quo Euangelicam Fidem nec coactus, nec requiſitus prædicaſſet, & exaltaſſet: veluti ſi Pyrauſta tenui, vel nulla gratia divina ſuffultus continuò, & frequenter cum ſuis Conjugibus converſatus fuiſſet; & ab illarum illecebris, & pulchritudine fuiſſet ſtratus, & victus, eſtò coniuges eum illexiſſent, & vulneraſſent, tamen Pyrauſta fuiſſet ille, qui ſe expoſuit horum vulnerum gravi periculo, & ideo Pyrauſta ſic inermem ſe exponendo peccaſſet, quia ſe expoſuiſſet periculo mutandi factum de virginitate propoſitum. Veluti ergo multi Martyres, inter quos Georgius, & Catharina, non ſe expoſuerunt peccandi periculo; quia impulſu Divinæ gratiæ ſpecialiſſimæ moti ſunt ad ſponte provocandos, irritandoſque Tyrannos: ſic Pyrauſta, quia ſpecialiſſima Dei gratia impellente motus eſt ad conjungendum conjugia cum virginitatis propoſito, nulli ſe expoſuit peccandi periculo. Taceo poſtea reperiri aliquos mihi notos, qui quamvis non frigidi, abhorent tamen copulam exercere cum fœminis; & hoc, quia putant in exercitio copulæ hominem inſanire.

33 Arbitror hujuſmodi temperamenti fuiſse Xenocratem, ad cujus torum cum Phrynes fuiſſet immiſſa, rogata illa quid ſua elegantiſſima for-

forma, & lenociniis de Philoſopho retuliſſet, fatendo ſe ſpretam, & victam dixit: cum ſtatua ſeſe, non cum homine cubuiſſe. Si tale ponatur fuiſſe Pyrauſtæ temperamentum, jam habeo eum ſolis viribus naturalibus nulli ſe expoſuiſſe peccandi periculo. Sed meliores, & fortiores debet Eccleſia Chriſti habere Xenocrates; & ideo pono Pyrauſtam communi omnium concupiſcentia fuiſſe vexatum; num ideo Matrimonia contrahendo imprudens fuit, & ſe expoſuit peccandi periculo?

34 Si ſic eſſet, non referendi eſſent inter Sanctos Henricus, Eleazarus, Pulcheria, & alii quindecim quos ſtudio brevitatis omitto, qui contraxerunt ſimilia Matrimonia cum Pyrauſtanis; cùm tamen Eccleſia hos veneretur; nec unquam ſenſerit eos in tali facto peccaſſe, aut molitos id imprudenter.

35 Si ſic eſſet imprudentiæ, atque temeritatis culpanda eſſet magna illa Tereſia, dum votum illud emiſit veriſſimè ſuper arduum de faciendo quidquid eſſe perfectius intelligeret.

36 Immanitatis inauditæ accuſandus eſſet Franciſcus de Paula, qui votum edidit primus æquandi vitam ſuam, totiuſque ſuæ poſteritatis cum quadrageſimali jejunio.

37 Incuſandus eſſet inſolentiſſimæ temeritatis ille magnus Antonius, qui cæſus, ſtratus per verbera catenarum, & adeò putatus mortuus, ut noctu à ſuis ſacri funeris ſibi perſolverentur officia; vix halitu vitæ utcumque reſumpto rurſus prodivit in aciem, & inſultando rurſus Dæmones provocavit, ut in ſe, quantum vellent ſævirent; quia jam toties fuerat expertus eos in ſe nullius eſſe virtutis. Inſignis inſaniæ homo cenſendus eſſet Simeon ille Stylita, qui fixus manens in altæ columnæ cacumine diu ſibi præcluſit itinera, & inceſſus, & ſe tot torrentibus ſolibus, & ſuccedentibus Aquilonibus ferè nudum expoſuit.

38 Prodite nunc tot agmina Martyrum promiſcuæ ætatis, & ſexus; & neſcio an ſit, qui vos arguat, quia ſponte irritaſtis imperia Poteſtatum, & Tyrannorum, ut in vos ſævirent cumulando tormenta ſuper tormenta ad necem uſque, quam avidiſſimè concupiveratis. Utique concupiſcentia vitæ ſervandæ potior, & vehementior eſt illo fomite, qui ſolet ad carnalem copulam inſtigare; quia illa ad conſervandum proprium eſſe, hæc autem ad opus, & actum ſecundum urget, & ſtimulat; & cur non ſunt culpandi tot Martyres, tamquam ſe exponentes periculo deſerendi fidem ob mortis metum, quæ eſt proprii eſſe deſtructio? culpandus verò Pyrauſta tamquam imprudens, quia per duo conjugia erumpere potuit in copulam maritalem, per quam violaſſet ſuum de virginitate propoſitum.

39 *Omnia poſſum in eo, qui me confortat dixit Apoſtolus ad Philip. 4.* cùm tamen eidem datus ſit ſtimulus carnis, qui ter eum cædebat in die; & ſentiunt non pauci Doctores hunc ſtimulum non intelligendum eſſe

eſſe de Satana verberante, ſed de fomite carnis, qui Paulum acerbiſſimè divexabat; & ideo à Deo permiſſum eſt tantum Apoſtolum virginitatis cultorem hoc ſtimulo fodicari, ut victor evadens non ſolùm de externo, ſed etiam de interno referret hoſte victoriam.

40 Eſt ergo recurrendum ad Deum ſpecialiſſimè irradiantem, inſpirantemque in hoc heroico Pyrauſtæ noſtri propoſito; Deus namque, ut ſuum agrum Eccleſiæ fertilem, novo virginitatis flore vernantem efficeret, ſpecialiſſimo gratiæ genere inſpiravit Pyrauſtæ, ut in duplici Matrimonio miranda daret experimenta conſtaniæ in virginitatis propoſito, & unam Eccleſiam muniret exemplo, alteram verò ditaret novo germine ſanctitatis. Deinde Chriſtus ipſe ut ſuum meritum extenderet ad omnigenum, voluntate, non verò neceſſitate quibuſdam paſſionibus non ſibi indecoris voluit affligtari; puta pavore, dolore, fame, ſiti, atque triſtitia; neſcio cur Pyrauſta ſit arguendus quia difficillimo cum carne conflictui ſe liber expoſuit, ut meritum ſuum ſingulare faceret, & augeret. In hoc ſtat pro me Auguſtinus qui ſic me confirmat: *Per tentationem probatur virtus, & exercetur; & glorioſior palma eſt non conſenſiſſe tentatum, quam non potuiſſe tentari*. De Chriſto quoque dixit Apoſt. ad Hebr. 4. *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Ut igitur Pyrauſta ad cumulum meriti ingentis accederet, in ſuo propoſito tentari voluit per duo conjugia.

41 Objecit mihi unus ex RR. PP. Theologis injuriam factam fuiſſe Conjugibus, quę neſciverunt hujuſmodi Pyrauſtæ propoſitum; & deinde eſtò ſciverint, tamen erubuiſſe exigere debitum maritale, puellari verecundia id prohibente, ſed

42 Dubium propoſitum reſolvendum eſt non divinando, nec per remotiſſimas conjecturas, ſed per illas circumſtantias, quæ in propoſitione dubii fuerunt expreſſæ. At in illa, & ex illa habetur, & infertur contrarium ei, quod eſt objectum; nam Pyrauſta dictitabat, ideſt frequenter dicebat, atque vulgabat, ſe querere ſponſam talem, cùm qua liceret vivere in caſto, & virginali conjugio &c. & poſt pauca; ita ut jugum Matrimonii abſque carnis tribulatione ſuſtinere valeret.

43 Deinde, de Patre puellæ aſſecuto Pyrauſtę propoſitum refertur dixiſſe Pyrauſtæ ſe deſpondere ei puellam, qualem ipſe cupiebat. Si non credatur dictum frequenter à Pyrauſta perveniſſe ad aures puellæ, quæ prior nupſit Pyrauſtæ; tamen eſt penitus incredibile Patrem puellæ non ſignificaſſe puellæ, Pyrauſtæ propoſitum; & hoc quia pauperes genitores gravati filiabus collocandis in Matrimonium ſæpiſſimè, vel lamentando, vel conſolando, loquuntur cum eiſdem, aut de mediis, aut de conditionibus virorum, qui poſſent eas ducere in uxores.

44 Tùm quia quis dicet puellæ patrem dixiſſe Pyrauſtæ, dare ſe ei ſponſam qualem ipſe cupiebat, & minimè ſignificaſſe filiæ ſuæ Pyrauſtæ propoſitum.

45 Incredibilitas prædicta fundatur in eo, quod in eadem dubii propoſitione narratur, in qua habetur ſic. Excepto matrimoniali congreſſu, quem nec ipſa ſponſa petebat, nec appetere unquam oſtendit. Hæc verba indicant puellam edoctam à Patre de Pyrauſtæ propoſito, vel ob puellarem ſimplicitatem nihil ſciviſſe de copula maritali, vel eam etiam à ſe propoſitum ſimile effeciſſe.

46 Item, quia ſponſus ſponſæ caſtè blandiebatur, potuit facillimè ſponſa aliquo nutu ſignificare ſponſo voluntatem copulæ, & debiti, quod exigebat; cùm tamen de ea narretur, nec appetere unquam oſtendit.

47 Denique propulſatur in Pyrauſta quævis ſuſpicio imprudentiæ, & injuriæ, quę dicitur ejus illata Conjugibus per illud Apoſt. ad Philippenſes 1. *Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu*. Pyrauſta conjungendo conjugium cum virginitatis propoſito molitus eſt opus bonum; nam prima bonitas operis deſumitur ex objecto; & hæc duo objecta *Virginitas*, & *Conjugium*, tam ſeparata, quàm juncta, conſtituunt bonum objectum; imo conjuncta ob ſui ſingulare, conſtituunt objectum ſuperegregium ob ſummum difficile; & quia pauciſſimi conjuges id præſtitere. Deſumitur etiam bonitas actus ex fine; & finis Pyrauſtæ fuit imitatio Matrimonii D. Joſeph. Utique hæc imitatio bona eſt, & non vetita, quia ſi Chriſtus ipſe vel conſuluit, vel præcepit Deum ipſum ab hominibus imitandum, & Deum ipſe tunc vocat Patrem; etiam tenendum eſt conſulere ut fideles in perfectione imitentur ſuum Patrem putativum S. Joſeph, de cujus probitate ſacer textus teſtatus eſt, eſſe ſimpliciter juſtum ſinè ulla diminutione. Matth. 1. *Joſeph autem vir ejus cùm eſſet juſtus*. Demum ex propoſitione dubii nulla poteſt deprehendi circumſtantia, per quam vitietur illa duplex operatio Pyrauſtana; & ideo opus illud Pyrauſtæ habens integritatem requiſitorum omnium concurrentium ad bonitatem moralem eſt bonum morali bonitate, ſuper quam fundatur bonitas Theologica, & meritoria; hoc poſito.

48 Docet fides, docet Apoſtolus quodlibet tale opus à Deo præveniente incipere, & hoc per gratiam, quæ præveniens nuncupatur. Docet idem Apoſt. Deum eſſe qui opus bonum tale perficiat, nam dicit *perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu*; tunc verò opus bonum à Deo perficitur, cùm dantur gratiæ concomitantes, & conſequentes ad idem opus; & inſuper dantur omnia media perducentia ad finem intentum.

49 At, ſi Pyrauſta volente conjungere cum virginitate conjugia, Deus paria auxilia Pyrauſtæ Conjugibus non præbuiſſet, tunc utique incœptum bonum opus non perfeciſſet; quia ſi Conjuges illæ non annuiſſent Pyrauſtæ propoſito, tenebatur Pyrauſta à propoſito ſuo re-

ce-

cedere; præterea, qui vult finem, & efficaciter, vult quoque media, quæ ſunt neceſſaria; atque ideò ſi Deus voluit finem virginitatis in Matrimoniis Pyrauſtanis, & efficaciter voluit, quia illa Matrimonia uſque ad finem exercuit virginitate ſua prorſus illęſa, piè exiſtimandum eſt paria auxilia fuiſſe data Conjugibus; & de iſtis auxiliis opinandum eſt, Pyrauſtam aliquam certitudinem habuiſſe, eſtò non fidei, nec ſcjentiæ. Per hoc evincitur Pyrauſtam prudenter, innocenter, & procul omni injuria ſuarum Conjugum ſe geſſiſſe.

50 Dum in congreſſu habito promovi hoc argumentum pro bonitate operis Pyrauſtani aſſignata fuit ab uno P. Theologo hæc circumſtantia, Pyrauſtæ operationem inficiens, quia ſcilicet Pyrauſta poterat ducere in uxores mulieres provectæ ætatis, & vetulas, quibus tamen poſthabitis, duxit adoleſcentulas, & puellas. Addidit idem ideò reprehendendum eſſe Pyrauſtam, quia poſt primum conjugium ad ſecunda vota tranſivit.

51 Sed quivis poteſt advertere quanti roboris ſit allata reſponſio; nam ſi Pyrauſta habebat pro ſui operis fine imitationem Matrimonii D. Joſeph cum Maria Deipara, debebat Pyrauſta ſenex ut Joſeph, deligere Sponſam Vırginem, & florentem ætate puellam, qualis erat Deipara, quæ tunc temporis, nec decimum quartum annum ætatis impleverat; & hoc, quia Matrimonium ſuum intendebat aſſimilare cum D. Joſephi conjugio. Item ubinam reperiuntur fœminæ iſte anus, & vetulæ, quæ ſaltem aliqua delectatione moroſa per longum vitæ ſpatium non inquinaverint mentem ſuam? & eſtò aliqua reperiretur, quis poteſt eſſe certus morali certitudine, illam tentationibus magnis pulſatam, aliqua voluptate mentali non ſe infeciſſe? Secus res ſe habet in puella ſimplici, & probè educata; nam ex hiſce puellis, non una, vel duæ, ſed quandoque plures, & plures in eadem Urbe repertæ ſunt, quæ nil prorſùs norunt de copula maritali; & ideò, quia per puellas, & non per vetulas Pyrauſta potuit majori ſimilitudine, & certitudine imitari Matrimonium D. Joſeph cum Deipara, deſponſavit ſibi non vetulas, ſed adoleſcentulas.

52 Deinde, quia ex objecto, & fine patet Pyrauſtam operari voluiſſe actum virtutis heroicæ, ſi vetulas duxiſſet in conjuges, nulla fuiſſet ſibi lucta cum carne; nam vetulæ edentulæ ſæpè, atque deformes potiùs ad fugam provocant, & ad faſtidium, quàm ad copulam, & voluptatem; & ſic in Pyrauſta, nedum heroicum non eluxiſſet, ſed nec etiam caſtitatis, & continentiæ ulla veſtigia oſtendiſſet; cùm virtus quæcumque reſpicere debeat arduum, & difficile.

53 Rursùs in propoſitione dubii habentur hæc verba exprimentia alteram intentionem Pyrauſtæ pręter primam; [ & rem ſuam familiarem cura Sponſæ muniret ]. Duxit ergo conjugem Pyrauſta, ut ſe, remque



Digitized by Google

ſuam familiarem cura Sponſæ protegeret; at vetulæ ad curam hanc ſunt penitus ineptiſſimæ, & debent regi, non regere. Idem finis excuſat Pyrauſtam à labe, quam poſſet ſubire ex ſecundo Matrimonio, quod contraxit prima uxore demortua; quia graviori ætate procedente, plus conjugali indigebat ſubſidio: imò in hoc locum habet etiam primus finis, ſcilicet imitatio Matrimonii D. Joſeph, quem quia nec per integrum annum imitari valuerat, voluit bis imitari ducendo ſecundam uxorem.

54 Do, non concedo adverſario ſecundas nuptias eſſe damnabiles, tunc ſolùm haberet locum ſomniata damnatio, quando illæ traherentur in argumentum inſatiatæ ſalacitatis; at in Pyrauſta ſecundæ nuptiæ cum propoſito virginitatis ſunt potiùs teſtimonium infallibile geminati conflictus, geminatæ victoriæ, duplicis lucri duarum virginum, dupliciſque triumphi.

55 Tum quia quis dicet ſecundas nuptias eſſe damnabiles? nullus hoc dicet præſertim in Euangelica lege; nam 32. *quæſt. pr. cap. hac ratione, & cap. quomodo* ſecundæ nuptiæ permittuntur. Rurſus 31. *quæſt. pr. cap. aperiant cap. Deus, & cap. quod ſi dormierit* definiuntur licitę; & quod licitum eſt, non eſt damnabile. Hoc idem eſſe licitum ſtatuit *Innoc.* Quartus *conſtitutione 14. ſub Catholicæ*.

56 Dum dixi regimen, curamque familiæ fuiſſe finem à Pyrauſta intentum in duobus Matrimoniis à ſe contractis, id intellexi de fine minùs principali, & ſecundario, non principali, atque primario; nam iſte fuit imitatio Matrimonii D. Joſeph cum Deipara Virgine; nec repugnant operantem operari poſſe ob duos, & plures fines, quorum unus ſit primarius, alter verò, vel alii ſint ſecundarii.

57 Quoque in congreſſu habito dixi relato P. Theologo, mirum eſſe ab eo negari rationem meam depromptam ex bonitate objecti, finiſque, cùm ipſe non veritus ſit in Archigymnaſio defendere publicè ex Cathedra Circumciſionem licitam eſſe hac tempeſtate, ſi id fiat ob finem imitandi Chriſtum Jeſum.

58 Tandem Pyrauſtæ moralis prudentia ſtabilitur ratione eruta ex natura propoſiti; nam in propoſitione dubii ſemper dicitur ille feciſſe propoſitum de virginitate ſervanda, non votum; ideò operæ pretium eſt oſtendere Pyrauſtam per tale propoſitum nullum ſubiviſſe peccandi onus, nullum quoque periculum, ſi à virginitatis propoſito receſſiſſet.

59 Pro hac re ſtant mihi, faventque SS. Canones, & Canoniſtæ; nam de Voto, & Voti redemptione *cap. literaturam* eſt definitum propoſitum faciendi aliquod bonum, non obligare. Ibidem eſt quoque ſancitum, propoſitum intrandi Religionem non eſſe votum; & ideò dixi ſuperiùs obligationem ex voto naſcentem, ſtrictiorem, & fortiorem eſſe illa, quæ ex propoſito ſimplici ortum ducit. Deinde etiamſi

Sa-

Sacri Canones de propoſito nil ſtatuiſſent, ſignificatio ipſa propoſiti poteſt quemcumque convincere; propoſitum namque eſt derivatum à verbo propono, quod ſignificat aliquid mente ſtatuo, vel delibero; ſic Seneca: *id in primis animo eſt proponendum, ut rectè vivamus*. Definitur ergo propoſitum ſic: *Eſt ſimplex humanæ mentis intentio, qua homo deliberat, & determinat, ſe opus aliquod facturum, vel omiſſurum*. Hoc ſtante, quis audeat dicere reum peccati, qui Deo confiſus propoſuit operari bonum melius, atque perfectius, & poſtea videns, attentiuſque conſiderans, ſibi à Deo non danda eſſe illa auxilia, per quæ fieret potens ad exequendum, & ad reſiſtendum tentationibus vehementibus, recederet à propoſito de meliori bono, & bonum minus, cui par eſſet, & pro quo divina ſibi præſtarentur auxilia, amplecteretur, exequereturque? Nemo eſt, qui poſſet tingere umbra peccati proponentem eleemoſynam largam, & poſtea commutantem in parciorem, præſertim ſi recens exortum ſit impedimentum, propter quod difficulter larga propoſita valeat erogari? vel peccaſſe illum, vel ſe expoſuiſſe peccati periculo, cum largam erogare propoſuit. Taceo ſimpliciter proponentem aliquod ſupererogationis opus poſſe licitè abſque ulla compenſatione facienda per minus bonum à propoſito de meliori bono recedere; & hoc quia per propoſitum nulla inducitur obligatio. Ob eamdem rationem poteſt liberè, abſque ulla cauſa inducente difficultatem propoſitum non adimplere.

60 His, aliiſque permotum puto noſtrum Pyrauſtam inclinaſſe ad propoſitum potiùs, quàm ad votum, ne ſcilicet ex obligatione per votum inducta, prævaricando poſtea, peccato eſſet obnoxius; ne videatur ſibi nimiùm de ſuis virtutibus, & de ubertate divinæ gratiæ polliceri, ne ſi res non benè ceſſiſſet, imprudentiæ, & temeritatis tenebris adumbraretur, ne ſubdolè voti prætextu incuſaretur omnem ſpem petendi debitum ſuis conjugibus præcluſiſſe, ne inſoliti voti jactantia altiſſimum ſuæ modeſtiæ deprimeret, & dejiceret, & denique ſi non ſequeretur effectus, aliquo premio dignus eſſet affectus.

61 Ex propoſito ergo Pyrauſtæ, ſatis liquet eum, nedùm omnem imprudentiæ ſcopulum evitaſſe; ſed etiam ſummum prudentiæ attigiſſe faſtigium; & revera ſi per omnes prudentiæ partes, potentiales ſcilicet, ſubjectivas, & integrantes enumerando fiat diſcurſus, nulla eſt, quàm Pyrauſta non ad amuſſim attigerit. Si etiam de imprudentiæ partibus, & ſpeciebus fiat ſermo, patet quoque à Pyrauſta procul fuiſſe præcipitationem, inconſiderationem, inconſtantiam, & negligentiam: nulla fuit prudentia carnis, nulla aſtutia, nulla fraus, & nullus dolus; quarum imprudentiarum abſentiam longiſſimam poteſt quivis advertere ex ſola propoſitione dubii; ſecundùm quam, & non aliter reſolvendum eſt dubium.

63 Sed

62 Sed ego contra me ipſum inſurgo, & ſimul objicio à me omiſſam eſſe ſolicitudinem, qua ex propoſitione caſus viſus eſt laboraſſe Pyrauſta; nam ſuis laboribus rem familiarem adauxit; præterea dicitur ſponſam accepiſſe, ut ſe, & rem ſuam familiarem cura ſponſæ muniret; & pręterea magnitudo divitiarum, quas dicitur comparaſſe, apertè indicat Pyrauſtam habuiſſe ſtudium immoderatum acquirendi, & conſervandi temporalia, contra illud Matth.6. *Nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus; & nolite ſoliciti eſſe in craſtinum*; ex his rectè concluditur ſpecies imprudentiæ, quæ dicitur ſolicitudo.

63 Sed pro ſolutione hujus argumenti, quod nunquam promotum fuit in duobus congreſſibus, adduco primo D. Ambroſium; qui lib.8. in Luc. ſic docet; *Diſcant Divites non in facultatibus crimen hærere; ſed in iis, qui uti neſciant facultatibus; nam divitiæ ut impedimenta improbis, ita bonis ſunt adjumenta virtutis*. Ecce nunc docet Ambroſius divitias indifferentes eſſe ad bonum, & malum; & ex fine, & uſu fieri bonas, vel malas: & ſanè divitiæ ex ſe malæ eſſe non poſſunt, aliter Abraham, Iſaac, Jacob, David, Joſaphat, & Ezechias eſſent inter peſſimos referendi, quia ingentes divitias poſſederunt: Deus quoque culpandus eſſet, qui in lege veteri cultores ſuos reddebat divites, & opulentos; & ſummum nefas eſt dicere Deum ſuis pro præmio dare ſaltem incentiva peccati. Tunc ergo ſunt malæ divitiæ, quando poſſidens abutitur illis ad obtinendum finem malum, & indecorum, puta ad indulgendum genio, ad lupanaria, pompas, ad juſtorum everſiones, & ad alia indigna relatu.

64 At legatur in propoſitione dubii ad quem finem ſuas divitias Pyrauſta direxerit: non quidem ad ſcortationes, illicitoſque concubitus; nam dicitur virginitatem, & caſtitatem adeò coluiſſe, ut nedum de mulieribus, ſed de ipſo quoque Diabolo ſibi apparente in fœminea ſpecie triumphaverit; quomodo potuit abuti divitiis, ſi de eo dicitur profeciſſe de virtute in virtutem; & ſummam venerationem adeptus per heroicæ virtutis ſpecimina. Pyrauſtæ finis egregius fuit, ut conjungeret cum cęlibatu conjugium, & ut hunc finem tantùm aſſequeretur, neceſſe fuit comparare divitias; quæ enim fœmina locuples fuiſſet conjuncta per Matrimonium huic viro humili genere nato, cum onere caſtitatis perpetuæ? & tamen Pyrauſtanæ divitiæ effecerunt, ut duæ puellulæ honeſtiſſimæ, ſed pauperrimæ cenſu, licèt ditiſſimæ theſauro virtutum, non dedignarentur, imo avidiſſimè concupiverunt, cum Pyrauſta contrahere Matrimonium; ſic enim evaſère periculum inhoneſtatis, quàm ſubire poterant paupertate cogente.

65 Alter fuit finis Pyrauſtæ, ut ſuis opibus puellas nubiles pauperes educaret; in tantum ut à ſecunda Conjuge, quàm ante nuptias ſolo Dei amore motus educaverat, vocaretur Pater, & ipſe illam ut ſuam filiam agnoſcebat.

66 Ter-

66 Tertius finis fuit Pyrauſtæ, ut aggrederetur heroicum in contemptu divitiarum, & conſummaret; nam ſi in paupertate degens Mundo ſe abdicaſſet, nihil ſanè reliquiſſet de Mundo, ſed per Religionem, quam fuit ingreſſus, paupertati ſuæ potiùs providiſſet; at quia ante ſuum ingreſſum ad Religionem facultates ſuas Chriſto diſtribuit, & pauperibus, paupertatis voluntariæ valdè egregium poſteris reliquit exemplum.

67 Hi fuere fines Pyrauſtæ ad acervandas, conſervandaſque divitias; & in his congregandis ſemper ſe præſtitit innocentem: imò ad heroicum miſericordiæ erga pauperes aſpirantem, & anhelantem.

68 Nec in eo aviditas imprudens, &vitioſa fingenda eſt, quæ in Avaris; nam iſti ſibi congregant, & conſervant, nec opus dirigunt ad bonum finem; Pyrauſta verò, ut declaravit eventus, ad tres fines præfatos opes ſuas direxit. Si quis animo nil pro ſe retinendi, ſed animo ſolùm ſubveniendi pauperibus quibuſcumque juſtis laboribus ſtuderet, & procuraret comparare divitias, & pecunias ſinè numero, nedum non peccaret, ſed ſummum attingeret plurium virtutum, ſcilicet prudentiæ in primis, deinde charitatis, miſericordię, atque munificentiæ &c.; quia hic ad finem optimum dirigeret medium prorſus indifferens ex ſui natura; redditum tamen optimum ex optimo objecto, vel fine. Ex quo colligitur evidenter nullo ſordido avaræ cupiditatis inquinandum eſſe Pyrauſtam ob divitias congregatas; ſed potiùs ad Cœlum uſque laudandum, & extollendum; quia propter finem eas comparavit altiſſimum.

*Reſolvitur tertia pars quæſiti, quæ eſt an Pyrauſta in Matrimoniis heroicæ virtutis actus effecerit.*

69 IN duobus congreſſibus habitis ab octo Theologis de heroico, ut eſt heroicum, nihil eſt tactum; & ideo ego quæſitum revera in duas partes propoſitum, in tres partes diſſecui; fieri nam poteſt, ut ferè ſemper evenit in iis, qui communi virtute ſunt virtuoſi, eſſe actum virtutis quidem, ſed non heroicum; & cùm in ſecunda parte reſolutionis meæ probaverim in Pyrauſta virtutem prudentiæ; nunc heroicum ejuſdem virtutis aggredior ſolidare.

70 Pro quo primum admoneo heroicum eſſe vocabulum à Gentilitate in Chriſtianos invectum; ſignificat verò apud Chriſtianos virtutis gradum, perfectionem, & excellentiam, qua homo circa materiam virtutis alicujus ſupra communem aliorum hominum operandi modum operatur; & per hoc Deo fit ſimilis, & apparet. In hoc conceptu heroici Scotus, Seraphicus, & Angelicus non diſcordant, & ferè omnes. Itaque heroicum non video præſeferre virtutem aliquam diverſam à

Theo-

Theologicis tribus, quatuorque moralibus; atque ideò quælibet earum poteſt attingere heroicum, dummodo gradum ſummum attingat.

71 Ad hoc heroicum ſequaces ſuos hortatus eſt Chriſtus Matth. 5. cùm dixit: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: & Lucæ 6. *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt*. Ex his duobus locis eruitur, & heroicum dicere quandam cum Deo ſimilitudinem, & de heroico attingendo ſaltim datum eſſe à Deo conſilium.

72 Non nego apud Gentiles datam fuiſſe virtutem heroicam, ideſt aliquam ex quatuor Cardinalibus, quæ hominem ita perficeret, & adeò redderet excellentem, ut eum ſupra cæteros homines elevaret, & eum ſimilem faceret Deo, vel Diis; & de hoc teſtes ſunt Ariſtoteles, & Averroes, aliique Philoſophi, qui ſuos agnoverunt heroes. At tale heroicum fuit Philoſophicum, & naturale; nunc verò in Pyrauſta noſtro eſt ſtatuendum Chriſtianum heroicum, quod eſt actio heroica Chriſtiana, & eſt hominis fidelis operatio in aliqua virtutis materia ob finem ſuper naturalem ſupra communem aliorum modum ex Divino dono, ſeu inſpiratione procedens cum abnegatione ſive explicita, ſeu implicita operantis.

73 Hæc cuncta reperiuntur in noſtro Pyrauſta; nam ut Deo quàm maxime deſerviret, & complaceret, medium optimæ virtutis delegit, virginitatis ſcilicet, ac caſtitatis, de qua D. Ambroſius de Virginibus circa initium: *Hæc, nubes, aera, Angelos, ſyderaque tranſgrediens, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris invenit*. Ad caſtitatem, & virginitatem hanc communem, & reſidentem in voluntate, oportet ut præcedat dictamen prudentiæ in intellectu; nam quælibet virtus in voluntate ſupponit ſuam prudentiam in intellectu, & ex neceſſitate ſupponit, aliter virtus non eſſet; ſed per hoc ſolùm habeo in Pyrauſta prudentiam, caſtitatemque communes, atque ideo

74 Probo heroicum utriuſque; nam iſtæ duæ Pyrauſtanæ virtutes attigêre gradum excellentiſſimum, & adeò eminentem; ut nullus, excepto D. Joſeph, ad illum ante pervenerit; non quidem ille Joſeph Patriarcha ad Cœlum uſque laudatus ob caſtitatis inſigne, quia etſi adoleſcens Dominam ſuam ad inhoneſtiſſima incitantem, & ſibi ſæpè moleſtam, conſtantia, & fortitudine in adoleſcentia ſua repulerit, ſemperque devicerit; tamen Pyrauſta noſter ſervili neceſſitate nihil obſtante duas dominas inſultantes, & ſimiliter provocantes devicit, ſtravit, eluſit; imo ipſum Diabolum fœminea forma, & fœminarum incantamentis armatum fortiſſimè profligavit. Conferat quis Alexandrum, & Julium Cæſarem Dictatorem cùm hoc juvene agricola, & alieno ſervitio mancipato; & quiſquis ille ſit Judex, judicabit, etiam ſi nolit, altioris gloriæ, & majoris fortitudinis incomparabiliter fuiſſe famu-

mulum hunc toties, & tam fortiter in Veneris arena vincentem, quàm illos duos, qui Martis in campo collatis ſignis cum pluribus, pluribuſque validiſſimorum hoſtium exercitibus demeſſuere triumphos, & palmas; iſti enim alios, & à ſe diſſitos devicêre unus Rex, alter Dux, & Dictator; ille verò ſervus ſeipſum, atque concupiſcentiam hactenus ab Adæ lapſu *demptis paucis, & parvulis*, ut ait Remigius, toto Orbe vincentem; imò ipſum Diabolum, ſeu Behemoth, de quo dixit Deus Job 41. *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret*, in juventute ſua, & toto ævo ſuo longiſſimo vicit, peſſumdedit, & habuit in ludibrio. Martinianus vix fuga, & igne, ſe à concupiſcentiæ hoſte protexit: alii noſtri Heroes in ſanctitate, ſcilicet Benedictus, Franciſcus, & cæteri nullo alio aptiori telo adverſus concupiſcentiam dimicarunt, quàm fugiendo; at noſter Pyrauſta in magnis opibus, & florente adoleſcentia conſtitutus, non timuit maximas urbes incolere, in quibus ut plurimum innumera ſunt irritamenta libidinum; ab Hiſpaniis ſe tranſtulit in novam Hiſpaniam, nec exhorruit magna pericula caſtitatis, quæ longa itinera ſecum ferunt. Denique velut miles factus emeritus per mille ſtipendia virginitatis, in ſenio voluit collato pede cùm tanto hoſte confligere, & duas duxit conjuges ſucceſſivè, quas ad propoſitum virginitatis allexit potius, quàm attraxit; blandiebatur illis, ſed ad reportandum majora lucra virtutum; aſſidebat, colloquebatur, & commenſalis erat eiſdem; ſed ut illas frequenter verbo inſtrueret, & exemplo; & denique, ipſe Vir ſummæ virtutis poſt pias preces extra thalamum in terra juxta ipſas cubabat.

75 Ex hoc poſtremo à me ex propoſitione dubii ferè ad verbum tranſlato, miror quoſdam permotos ad ambigendum an Pyrauſta ante preces ſimul cum ſua nupta in lecto cubuerit? cùm ipſum non cubuiſſe ex verbis allatis ſit manifeſtum; nam prius habetur ſic: eam in thalamo collocabat; & poſtea nullo alio interjecto. Verùm ipſe virtutis vir poſt pias preces extra thalamum juxtà illam in terra cubabat: illa adverſativa [ verùm ipſe ] demonſtrat cuicumque, eum in thalamo non cubuiſſe, poſtquam ſponſam in thalamo collocaverat; & ly [ poſt pias preces] non dat intelligere pias preces in thalamo fuiſſe peractas; ſed modificat Pyrauſtæ cubitum factum in terra; & ſonat prius eum in terra precatum fuiſſe, & in terra poſtea cubuiſſe; aliter debuiſſe dici ſe, & illam in thalamo collocaſſe; quod ſi eveniſſet adhuc Pyrauſtæ caſtimoniam non læſiſſet, ſed magis heroicam reddidiſſet, quia plus collato pede cum hoſte certaſſet.

76 Quidquid ſit de hac re, ſive unus, vel alter modus cubandi dicatur, ſemper heroicum in Pyrauſtana prudentia, & caſtimonia demonſtratur; nam ſemper novo genere pugnandi contra incontinentiam Pyrauſta pugnavit; etenim extra thalamum cubando juxta illam cuba-

bat; & ſic quoque proximum habuit motivum violandi factum de caſtitate propoſitum.

77 Augetur heroicum in prudentia, & caſtimonia Pyrauſtana per adverſitates, quas maximas paſſus eſt à parentibus puellarum, quæ ſibi nupſerunt; & per id ſua quoque fortitudo, & conſtantia erigitur ad heroicum; nam minis, injuriis, contumeliis impetitus, omnia æquanimiter toleravit, & reſpondendo ſemper modeſtè, promiſſis etiam conabatur feroces animos emollire; per quæ etiam patientiæ, & modeſtiæ in virtutibus demonſtravit heroicum.

78 Sed præ ceteris in caſtimonia Pyrauſtana fulget heroicum, ex fine, ob quem ad ineunda conjugia motus fuit hic bellator, & miles egregius. Ideo illa duo contraxit, ut bis, non ſemel, Sanctum Joſeph imitaretur; & per hoc Pyrauſtæ prudentia tranſit ad Chriſtianum heroicum; nam eſtò hæc prudentia pro fine immediato reſpexerit Matrimonium Mariæ cum Joſeph; tamen ad Chriſtum & Deum ultimate tetendit, cùm quivis advertat ex Matrimonio illo Deiparæ Chriſtum Deum, & hominem reſultaſſe, vices Joſephi Spiritu Sancto ſupplente. Heroes alii in Chriſtiano Cœlo fulgentes iniverunt quidem conjugia, in quibus caſtitatis propoſito, vel voto quoque ſe obſtrinxerunt; ſed ſolus Pyrauſta fuit ille, qui hanc ſupereminentem conditionem adjecit; ſolus Pyrauſta cum propoſito, non cum voto ſe illigavit; & hoc, quia nihil faceſſente libertate tranſgrediendi impune propoſitum, dum non eſt tranſgreſſus, beatitudinem promiſſam Eccleſiaſtici 31. *ei, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*, ſibi fortiùs, & glorioſiùs vendicavit.

79 Elucet etiam heroicum Pyrauſtæ prudentiæ, quia non ſe inermem, ſed pluribus vallatum experimentis, in quibus advertit nunquam ſibi Divina auxilia defuiſſe, ſe dedit tanto certamini; & rurſus, quia non adoleſcentiæ æſtu in deteriora incitante, ſed ſenili gravitate aggreſſus eſt duo conjugia, & in utroque tenaciſſimus fuit ſui ſancti propoſiti, ut comprobavit eventus.

80 Hoc opus inſigne Pyrauſtæ, fuit hominis quidem fidelis; fuit multiplex, quia in multiplici virtutum materia; fuit quoque ſupra aliorum communem operandi modum: fuit etiam ob finem ſupernaturalem, & ideò ex his quæ dixi, multa habet, quæ Chriſtianum heroicum integrant, vel conſtituunt. Sed unum, videtur deficere; & illud unum eſt, ut tale opus ſit ex Divino dono procedens, & ideò, ut hoc probem.

81 Admoneo in homine de divinis auxiliis, & donis ſibi actualiter inexiſtentibus nullam dari poſſe certitudinem, quæ ſit vel fidei, vel ſcientiæ; quo tamen nihil obſtante, poteſt de iiſdem certitudo aliqua moralis haberi; & quidem ſi ſit prudentia Chriſtiana communis, hujus in Pyrauſta ſigna ſunt evidentia; nam promptè, faciliter, ac delectabiliter

ter

ter ad finem debitum ex ſupernaturali motivo direxit media ſingularia conſultando de illis, judicando, atque præcipiendo juxta legem, ſeu moralem ſcientiam; & totum patet eum executum fuiſſe ex propoſitione dubii, ſecundùm quam reſolvo difficultatem; in ea enim habetur Pyrauſtam à Deo fuiſſe præventum; & rurſus dicitur fuiſſe amore, fide, & pietate maxima erga Deum. Cùm verò contraxit conjugia de eo dicitur: ( prudenter perpendens non eſſe bonum hominem eſſe ſolum ); per quod ſatis oſtenditur ex motivo revelato in Sacra Scriptura, & ſupernaturali eum ad Matrimonia proceſſiſſe. Alia quoque exprimuntur ibidem, per quæ indicatur Pyrauſtam, ſemper ad Deum, & Divina auxilia reſpexiſſe; atque ideò indubium eſt Pyrauſtam ex illuminatione, ſupernaturali operatum fuiſſe; ita ut pleniſſimè adimplevit illud Apoſt. ad Coloſſ. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti facite*, & ecce in Pyrauſta extitit prudentia Chriſtiana.

82 Nunc in hac prudentia Chriſtiana ſigna heroici ſunt aſſignanda; hujus ſigna à me duo ſtatuuntur. Primum eſt conſulere, judicare, præcipere materiam virtutis, quę in difficultate multum ſuperet, excedatque communem; & ecce noſter Pyrauſta conjungendo cum propoſito caſtitatis bina conjugia difficillimam, & fere intentatam ante aggreſſus eſt materiam caſtitatis: rurſus imitatio Matrimonii D. Joſeph cum Sponſa Deipara fuit finis nimis diſtans in altitudine, & ſingulari à finibus proximis aliorum hominum, qui in caſtitate vixerunt.

83 Alterum ſignum heroici, quem tradunt aliqui, eſt ut prudentia Chriſtiana attingat heroicum, ſuperetque communem, aliam promptitudinem, & facilitatem in conſultando, judicando, atque præcipiendo habere non poteſt, quàm ut ſtatim abſque longo diſcurſu dictet quid in aliquo agendorum, ſive monaſtico, ſive œconomico, ſive politico ordine ſit agendum, utendo mediis efficacioribus, & potioribus; & id debet ducere ortum primò ex dono ſcientiæ, quo agibilia moralia certò ſciuntur: ſecundò ex dono conſilii, quo ſingulare, ut illis conforme dictatur, & ex Dei inſtinctu procedit.

84 Totum hoc probant heroicâ Chriſti prudentiâ; hic enim cogitatu non indigebat in operatiône quarumcumque virtutum; & ideò Luc. 2. habetur; *Mirabantur ſuper prudentia, & reſponſis ejus*: probant iidem iſtud idem ex illo Matth. 10. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini*. Et denique probant evidentiſſimis exemplis veteris Teſtamenti; nam Joſeph ille filius Jacob ſinè ulla mora interpretatus eſt ſomnia Pharaonis; & ſic quoque Daniel celeriter explicavit tot obſcuriſſima, quæ in ſuo libro narrantur. Omitto Moyſem, Joſue, Gedeonem, Sampſonem, Saulem, & David; nam etiam Balaam ethnico, dicitur Dominus occurriſſe, & tali occurſu ille mirabilia prophetavit.

85 Quod maximè facit ad rem præſentem; in novo Teſtamento aptiſſimum eſt exemplum de Beatiſſima Virgine, quæ, ut communiter defenditur, & tenetur, voto virginitatis adſtricta contraxit Matrimonium, quod conſummatura non erat. Certum eſt eam vi humani diſcurſus conſentire non potuiſſe, niſi ex Dei dono ſcientiæ, & inſtinctu quoque divino ad illum conſenſum fuiſſet adducta. Sic deinde ſolùm freti Divinis illapſibus, & auxiliis nulla prævia mora, vel ſtudio operati ſunt Apoſtoli, & tot agmina Martyrum, atque Sanctorum. At hic modus operandi celerrimè ſinè ſtudio, humanoque labore proculdubio exiſtimandus eſt in noſtro Pyrauſta; nam hic puer paſcendis gregibus, adoleſcens deputatus eſt agricolturæ; & quomodo ovibus addictus, & terræ intellectum ſuum potuiſſet erigere ad culmen tantæ prudentiæ, ut firmiſſimè ſciret non repugnare Matrimonium cum virginitatis propoſito, niſi Spiritu afflante divino fuiſſet edoctus: imo puto eodem Spiritu illuminante, & erudiente forſan ſciviſſe in hac conjunctione caſtitatis cum Matrimonio futuros quoſdam, qui illam non approbarent, & ideò non votum emiſit, ſed fecit propoſitum non abſolutum, ſed conditione reſtrictum; ut ſic ſui hoſtes facilius confutarentur.

86 Denique per hæc, quæ dixi, nedum in Pyrauſta probatur heroicum in prudentia, ſed etiam heroicum in caſtitate; quia quale eſt dictamen prudentiæ talis etiam eſt actus, vel habitus ſequens, ſi tali dictamini eſt conformis. Quare ſi prudentia Pyrauſtana fuit heroica, caſtitas quoque conformata illi dictamini fuit heroica.

87 Per iſtud idem Chriſtianum heroicum refellitur etiam quidquid de imprudentia, & de peccandi periculo in Pyrauſta Adverſarii cavillantur, nam ſi heroicum tunc eſt in virtute, cùm operans aggreditur objectum in altitudine nimis diſtans à virtutis communis objecto, vel protinus ſinè ulla mora conſilii ex Dei ſpeciali inſtinctu ad idem tendit objectum; quomodo in Pyrauſta imprudentiæ aliqua nota fingenda eſt ex hoc capite, quia ſcilicet aggreſſus eſt objectum adeò ſuperexcellens à nullo fere, aut pauciſſimis ante tentatum, conjungere ſcilicet cum caſtitate conjugium? aliter ſi ex capite magnæ difficultatis debuiſſet à propoſito ſuo deſiſtere, tunc, quia in heroico attingendo ſemper maxima eſt difficultas, à nullo, & numquam tentandum eſſet heroicum contra duo prædicata à Chriſto conſilia: *Eſtote perfecti ſicut &c.* & Lucę 6. *Eſtote miſericordes ſicut &c.* Et quomodo conſultationis defectu ſtatuenda eſt imprudentia in Pyrauſta, ſi heroicum, ut dixi, debet repente à Deo procedere ſinè ulla mora conſilii?

88 Et ſi dicatur ideò Pyrauſtam debuiſſe hoc ſuperarduum dimittere intentatum, quia certus non erat ex aliqua revelatione divina Deum eſſe, qui ad tantum opus impelleret: pariter de divina illuminatione, & inſpiratione erat incertus.

89 At

89 At eſtò multi Heroes in Sacra Scriptura narrentur impulſi à divina revelatione ad moliendum heroicum; tamen multi ſunt etiam, qui ſolo interno Dei ſpiritu urgente ad heroicum ſe contulere; & tamen iſti nulla certitudine fidei, vel ſcientiæ certi erant, ſe à Spiritu Dei fuiſſe permotos ad aggrediendum heroicum: æquè neutram certitudinem habuere de motione interna an eſſet Dei auxilium, vel diabolica inſtigatio; cùm prima Jo: c. 4. ſic habeatur: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint; quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in Mundum*. Quo tamen nihil obſtante, intrepidè heroicum ſunt aggreſſi. Imò nec qui per revelationem externam ad heroicum ſunt incitati, aliquam certitudinem, vel fidei, vel ſcientiæ habuerunt, qua certi eſſent revelationem illam eſſe Divinam, non verò à Diabolo fuiſſe confictam; ait enim Apoſt. 2. Cor. c. 11. *Ipſe Satanas ſe transfigurat in Angelum lucis*; & id facit Satanas, ut poſtea tali larva deceptis ſua mendacia pro Divinis revelationibus valeat faciliùs venditare. Et revera Deo ſic permittente non pauci per hujuſmodi revelationes, & inſtigationes factas à Satana, & immiſſas miſerabiliter decepti ſunt, & habiti in ludibrio.

90 Inter innumera, exemplum magnum eſt illud Polycronii Sacerdotis, & Monachi Monothelitæ, qui ſuam dementiam clarè nimis aperuit in Synodo Sexta; cùm enim Dæmon ei per oſtenta falſiſſima illuſiſſet, tentavit mortuum facere redivivum ad veritatem ſectæ ſuæ firmandam. Cùm ventum eſſet ad opus coram magno populo, & multis Patribus Sancti Concilii, in aures cadaveris quandam chartam immiſit, & in ejuſdem inſuſurravit pluries plurieſque; ſed tandem faſſus eſt à ſe mortuum excitari non poſſe; & ſic ex mirabili Heroe reddidit ſe ridiculum.

91 Inde fit, ut objectum, finis, & circumſtantiæ actus ſint illa, quæ valeant moralem tantùm petere certitudinem de vero, atque ſyncero revelationum Dei, & divinorum auxiliorum. His adduntur ſecuritas, perturbationum abſentia, dulcedo quædam, hilaritas ingens, & inopina; & tandem fęliciter ſecutus eventus; & ultimum hoc, quod certiſſimum eſt in Pyrauſta demonſtrat priora, & ſimilia alia in ſuo aggreſſu non defuiſſe. Noſco me argumenta plurima omiſiſſe, non neglexiſſe, quia illa latiùs, & nimis diſertè promovit Autor exhibiti mihi libelli; quædam etiam addiderunt Patres octo Facultatis Pariſienſis Theologi. Hæc, & illa approbo, veneror, & admiror.

Sic reſolvebam

*Fr. Nicolaus Buico de Spinazzola ſtans pro Scoti Doctrina, & in Univerſitate Patavina Theologus primarius.*

CEN-

# CENSORIA RELATIO

## Reverendiſſimi, & Excellentiſſimi Domini

# D. MICHAELIS VERII

*Theolog. Doct., & Publici Philoſophiæ Profeſſoris.*

1 QUantum interſit Sacræ hujus Academiæ Patavinæ bonum, ac prudens in Cauſa Pyrauſtana judicium, Reverendiſſimi, atque Excellentiſſimi Patres, illud, opinor, ſatis prodit, ac manifeſtat, quod cum doctiſſimis, graviſſimiſque totius Orbis Theologis, Pariſienſibus ſcilicet, ac Salmantinis Judiciorum æmulatio ſuſcipiatur.

2 Verum quamvis hoc argumentum ſummam à nobis attentionem eflagitet, illud tamen præſertim urget, atque ſollicitat, quod duo præſtantiſſima Collegii noſtri ornamenta in diſcrimen vocantur, Ingenii in circumſpiciendo ſagacitas; & in deliberando, ac judicando, virtutis, ac morum, quæ boni Viri partes ſunt, decor, atque honeſtas.

3 Enim verò, quod præſertim ſpectat ad honeſtatem, quæ caput eſt cum Religioni, ac Sacræ Facultati nos omnes nomen dederimus, illud maximè curandum eſſe videtur, ut ex Judiciis noſtris germanæ, probatæque Theologiæ ſenſus, & ſanctiores animi mores refulgeant: ne forte dum Pyrauſtæ prudentiam ad examen traducimus, nos imprudenter, ne dicam impudenter egiſſe videamur.

4 Sed cùm duo ſint, quæ à nobis in cauſa Pyrauſtana poſtulantur; alterum: Utrum duo Pyrauſtæ Connubia, cum propoſito, ac proteſtatione ſervandæ in Matrimonio virginitatis ſucceſſivè ſuſcepta, valida fuerint; alterum: Utrum fuerint virtutis heroicæ ornamentis decorata; Connubiorum validitas adeò perſpicua eſt, ut de illa nec diſputandum, nec dubitandum quidem eſſe videatur. Cùm enim Matrimonialis conſenſus, aut cohabitationem, & individuam vitæ ſocietatem reſpiciat; quod eſt bonum Sacramenti, ſignificans unionem Chriſti cum Eccleſia; aut carnalem commixtionem, & prolis ſuſceptionem, quæ ex D.Thoma in ſuppl. qu.42. art.4. in corp. non eſt, niſi de ſecundaria, ſeu extrinſeca, & accidentali integritate Sacramenti, ut explicant doctiſſimi Salmanticenſes in ſuo curſu Theologico, aliique communiter Sancti Doctoris Interpretes; omnes utriuſque Theologiæ, tum

etiam

Digitized by Google

etiam Sacrorum Canonum Profeſſores primum illum conſenſum ad Matrimonii validitatem ſufficere docent; dummodo pactum nullum præceſſerit, quod jus connubiale, ſeu mutuam in corpora poteſtatem, ad Matrimonii rationem neceſſariò requiſitam, violaverit, atque ſuſtulerit; Nullum autem pactum, data fide firmatum in hiſce connubiis interceſſiſſe, ac præceſſiſſe, ex vita Pyrauſtæ, & ipſa Facti Mirabilis narratione apertiſſimè conſtat. Licet enim Doctores Pariſienſes propoſitum Pyrauſtę expreſſerint nomine proteſtationis; hac tamen voce ſimplex propoſitum, & voluntatis conditionatæ ſignificationem intellexerunt; ut contextus ipſe verborum ſatis prodit: & ipſa facti narratio, ac vitæ hiſtoria, itemque Salmanticenſis Univerſitatis expreſſio clariùs manifeſtat. Proteſtatio ergo non fuit Forenſis; quæ ſonat: *nec aliter*, *nec alio modo*; ſed communis, & communiter uſurpari ſolita, quæ idem ſonat, ac ſignificatio, & propoſitum animi, ſeu ſignificatio propoſiti, ſervandæ in conjugio virginitatis; eaque conditionata, *ſi poſſibile foret*. Dictitaverat enim Vir juſtus, & ſanctus, quærere ſe ſociam, cùm qua, *ſi poſſibile foret*, vivere ſibi liceret in caſto, & virginali connubio, ad inſtar S. Patriarchæ Joſeph cum Sanctiſſima Sponſa Virgine Deipara: quarum connubium tanquam exemplar Sanctiſſimum ſibi ad imitandum elegerat, ac propoſuerat. Atque fama hæc ita per vicos, & omnes vicinos propoſitum Pyrauſtæ evulgaverat, ut nullus finitimorum, qualem ſponſam hic quæreret, ignoraret. Quod ſi omnes etiam, quorum non intererat, id reſciverunt, quanto magis puellæ in ſponſas eligendæ, quarum maxime intererat, id agnoviſſe debuerunt? Præſertim cùm ex facti mirabilis inſtructione, omnibus nobis oblata, notiſſimum ſit, puellarum Parentes, ſcientes Pyrauſtæ propoſitum, filias ſuas in conjuges ei tradidiſſe, tantum ut ſua protectione fulciret, & à periculis mundi, atque pudoris jactura, ob pauperiem, illas eriperet. Huic rationi momentum addit planè firmiſſimum, quod Vir ille caſtiſſimus, ut ibidem ſubditur, in ſponſas accepit puellas ea lege, ut earum ſubveniret indigentiæ, & patrocinaretur pudori; ſeque, & rem ſuam familiarem ſponſarum ſuarum cura muniret. Hæc, quæ accepimus, placuit hoc loco adnotare, ut pateat, quantum recedant à veritate, & à fide narrationis, qui dicunt Puellas neſciviſſe Pyrauſtæ propoſitum, & in hiſce connubiis aut interveniſſe pactum antecedens, Matrimonii diſſolutivum; aut conſequens quidem, ſed deceptorium, & fraudulentum: quod ſponſas ſuas, in ſpem copulæ nuptas, Pyrauſta verborum lenociniis, ac delinimentis ad propoſitum virginitatis traduxerit, & dolo malo, atque aſtu deceperit. Sed ne qua ſuperſit ratio de validitate hujuſcemodi nuptiarum umquam ampliùs dubitandi; dabimus hoc loco fundamentum ineluctabile, atque univerſale, undè pacta de caſtitate, & virginitate in Matrimonio ſervanda poſſint nullo negotio diju-

dijudicari: ſive illud antecedant, ſive conſequantur. Enim verò duo ſunt, quę in Matrimonii celebratione inveniuntur; connubile jus, ſeu reciproca poteſtas in corpora contrahentium; & uſus hujuſmodi juris, ſeu poteſtatis. Quod igitur ad jus, ac reciprocam poteſtatem attinet, omne pactum inter conjuges, de non transferenda corporum poteſtate, deſtruit validitatem, & Matrimonio fatale eſt, ſive nuptias præcedat, ſive ſubſequatur. Subtrahit enim ejuſmodi pactum ab hoc ſacramento materiam, & formam, ſinè quibus ſacramentum conſtare omnino non poteſt. Nam omiſſis variis Theologorum ſuper hac controverſia ſententiis, probabiliſſima omnium videtur illa, quæ aſſerit, materiam remotam connubiorum eſſe corpora ipſorum contrahentium; proximam verò eorumdem corporum reciprocam traditionem, verbis, ſeu nutibus, internum animi conſenſum exprimentibus, factam: formam item mutuam, ac reciprocam eorundemmet corporum acceptationem, à contrahentibus ſimiliter interpoſitam *. Quod autem ſpectat ad uſum jam oblatæ, atque acceptatæ in corpora poteſtatis; cùm uterque conjugum juri ſuo, per Matrimonium quæſito, renunciare poſſit; ſicuti in reliquis contractibus, per ſe loquendo, compertum eſt, pactum de caſtitate, ſeu virginitate in Matrimonio ſervanda, ſive antecedat, ſive ſequatur, Matrimonio innocuum eſſe, & cum fœdere nuptiarum componi poſſe certum eſt.

5 Transeamus jam ad alterum controverſiæ caput: ubi ſuppoſita connubiorum ſubſtantia, de illorum qualitate, ac perfectione diſſeritur: in quo potiſſimum controverſiæ pondus collocatum eſt **. Licet enim hujus Servi Dei vita, ſanctiſſimè peracta, & mortui plurimi ad vitam revocati, quod ſummum eſſe ſolet inclytæ ſanctitatis teſtimonium, de qua re Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Decretum præſtolamur, nos poſt Doctores Pariſienſes, ac Salmantinos, in partem affirmantem non inclinent modo, ſed etiam impellant: non deſunt tamen è noſtris Viri præſtantes, qui de illa non ſolùm dubitant, ſed contrariam etiam ſententiam, & amplectuntur ipſi, & nobis, ut amplectamur, ſuadere conantur.

6 Igitur quoniam opinionem hanc neque in ſeipſa veram eſſe, neque Academiæ noſtræ ſatis decoram puto; quæ muneris mei partes ſunt, apertè, atque ingenuè executurus, utrumque Pyrauſtæ Matrimonium heroicis connubiis annumerandum eſſe, ea majori, qua potero, brevitate, & contrariæ partis obſervantia, confirmare conabor.

7 Ordo autem reſolutionis hujuſce caſus hic erit. Primò geminam ejus expreſſionem, ſive acceptionem præmittemus: ne ulla evaſio Ad-

---

* *Iſambertus diſp.4. de Matrim. Ludovicus Abelly c.8. de Matrim. ſect.1. cui favet D. Thom. in ſuppl. q.45. art.2. in corp.*

** *Vita Ven. Servi Dei cap. 10. n.86.*

Adverſariis noſtris concedatur; ſed via quævis rationes noſtras declinandi, & ſubterfugiendi præoccupetur. Deinde caſum, ſecundùm omnem ejus faciem, perpendemus; & quocumque modo acceptus fuerit, oſtendemus, Pyrauſtam prudentiſſimè ſe geſſiſſe: & actus heroicæ virtutis exercuiſſe. Tandem adverſæ partis argumenta in medium proferemus, ac diluemus: licet, quod ad hoc tertium attinet, nobis cum ipſis iniquo marte ſit congrediendum. Cùm enim nos ſumma animi ſynceritate, & ſolius veritatis detegendæ ſtudio ſemper egerimus, liberè rationes omnes noſtras ipſis communicavimus, & coram non ſemel protulimus: quod non ita ab illis factum eſt, qui unam tantummodo, aut alteram rationem protulerunt, quam nos etiam inter referendum firmiſſima reſponſione excepimus: ceteras diſſimularunt.

8 Sed ad primum veniamus. Prima igitur caſus expoſitio, qua, ut conjicimus, utuntur Adverſarii, hujuſmodi eſt.

*Prima Pyrauſtani caſus expoſitio, ſeu acceptio.*

9 Cùm Pyrauſta, à primis uſque adoleſcentiæ ſuæ annis, concepiſſet propoſitum virginitatis; quod ad ſexagenariam ætatem intemeratum, illibatumque ſervavit, voluit ea ætate Matrimonium contrahere; & virgo cum virgine ſponſa convivere. Quæritur, utrum contrahendo rectè ſe geſſerit.

*Secunda expoſitio, ſeu acceptio ejuſdem Caſus.*

10 Cùm Pyrauſta duas ſucceſſivè duxerit puellas in uxores; pauperes quidem, ſed virtute præditas, cum propoſito, & ſignificatione, ſeu proteſtatione ſervandæ in Matrimonio virginitatis, ſi Deo placeret; ad exemplum puriſſimi Matrimonii Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ, & Sancti Joſeph Patriarchæ; de facto autem in Matrimonio ſervaverit virginitatem: Quæritur utrum validè contraxerit, & virtutis heroicæ actus ediderit.

11 Hæc ſecunda potius, quàm prima eſt ſyncera, ac germana contentioſi caſus expoſitio. Sed Adverſarii, ut audio, primam libentiùs accipiunt; ut rationibus ſuis hunc in modum inſerviant.

12 Nunc procedamus ad controverſiæ deciſionem. De validitate ſatis diximus ſupra.

*Reſolutio quæſtionis juxta primam acceptionem.*

13 PUtant Adverſarii diſputationem ſuam fœliciorem exitum habituram, ſi ex propoſito virginitatis, ſimpliciter conſideratæ, deſumerent argumentum, ad damnandum propoſitum virginitatis in Matrimonio: cùm hoc virginitati fatale eſſe videatur; atque adeò ad ſervandam virginitatem aſſumi ut medium non debuerit.

14 Sed reſpondetur, Matrimonium à Pyrauſta aſſumptum non

M fuiſ-

fuiſſe, ut cuſtodiret virginitatem ſimpliciter: nam ſic innuptus permanſiſſet, ſed ut ad gradum perfectiorem, atque ad altiorem ſtatum virginitatem ſuam promoveret. Quemadmodum enim virginitas connubialis magis ardua, ac difficilis eſt, quam virginitas ſolitaria; ita laudabilior multo eſt, atque præſtantior: ratione cujus arduitatis in cenſu virtutum heroicarum poni debet; ut infra oſtendemus. Protheoria, ſeu principium fundamentale hujus doctrinæ ex Propheta regio deſumptum eſt. Ait enim in Pſalmis de juſtis hominibus, & fidelibus Dei ſervis: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Tamdiù enim creſcimus in perfectione virtutum, quamdiù procedente charitate, in ſpe vivimus, ut Deum Deorum in Sion, hoc eſt in patria tandem videamus,

15 Ne verò Adverſarii reſpondeant, doctrinam veram eſſe; ſed non eſſe ad rem noſtram, applicabimus illam factis, atque illuſtribus victoriis Pyrauſtæ. * Nam, ut habemus in vita ejus, circa annum ætatis ſuæ 20. & in ſequentes, Tyrocinia veluti poſuit virginitati ſuæ, rejectis plurium fœminarum amplexibus, cujuſcumque conditionis, ſpectatęque pulchritudinis. Dęmonem deinde repulit, in ſpecie venuſtiſſimæ virginis, ſibi Veneris ſtimulos ſubdentem, & pronuba flamma ſollicitantem. Sed cùm pluries præſentiſſima divinæ gratiæ auxilia ad triumphandum expertus eſset; vocatus à Domino ad difficiliora certamina, factum eſt, ut ejus ſanctiſſima gratia præventus ad virginitatem in Matrimonio ſervandam, quod ſummè heroicum eſt, ſeſe contulerit.

16 Præterea diſſolutum adverſæ partis argumentum falſo nititur fundamento; nempe Matrimonium virginitati ſociari, & cùm ea componi non poſſe. Hoc enim quam falſum ſit, declarat connubium virgineum Sanctiſſimæ Deiparæ cum Sancto Joſeph; & alia plura connubia, ad hujus imitationem inita à Sanctis Viris; ut ex Hiſtorię Eccleſiaſticę monumentis infra referemus. Nullo ergo modo tueri poſſunt argumentum ſuum, niſi contra Theologos, Canoniſtas, & Sanctos Patres Matrimonium Sanctiſſimæ Virginis cum S. Joſeph à Matrimonii ratione demoliantur; & contra Hiſtorię Eccleſiaſticę fidem, & Eccleſię Romanę diſciplinam, alia virginea ſanctorum connubia, quæ neque pauca, neque obſcura ſunt, ſed Chriſtiano Orbi notiſſima, à veri Matrimonii eſſentia, atque ſubſtantia deturbent; Igitur Matrimonium eſt aptiſſimum medium ad promovendam ad ſtatum heroicum virginitatem.

17 Dicent fortaſſis, inſpiratos cęlitus Dei ſervos Matrimonia illa contraxiſſe: Aut hiſtoriam recentibus notis obſcurare tentabunt.

18 Sed

* *Cap. 1. num. 26.*

Digitized by Google

18 Sed quem tandem Pyrauſtam eſſe putant? Flocci videlicet, naucique hominem; ruſticum aratorem, truncis ſuis, ſtipitibuſque perſimilem; Divinæ lucis, ac ſupernarum illuſtrationum incapacem: cujus vita ipſis, per ſummum nefas, pecudis videtur eſſe, non hominis. At legant attentiùs, qui tam nefaria obtrudunt, admirabilem puriſſimi hujus, atque illuminatiſſimi Servi Dei vitam, ac mores: ſciantque tandem non agricolam ampliùs, non hoſpitem, aut advenam eſſe, ſed, ut ait Apoſtolus ad Epheſios 2. Civem Sanctorum, & domeſticum Dei; prodigioſum etiam tot mirabilium patratorem, ut miracula pluſquam tercenta *, cùm adhuc eſſet in vivis; innumera verò poſt mortem ſit glorioſiſſimè operatus. Certè quæ in funere ejus acciderunt tam mira, tam inſolita, tam multiplicia fuere, ut me ſpecimen aliquod eorum huc afferre ex cap. Vitæ 22. conantem, numerus, raritas, pulchritudo, delitiæ, ſuavitas tanto ſtupore, tantaque dulcedine repleverint, ut quid potiſſimum ex illo paradiſo voluptatis ſeligerem, anceps, ac dubius hæſerim; & ne omnia referrem, quæ pulcherrima, ac jucundiſſima ſunt, prætermittere debuerim univerſa. Cęterum hęc ſub ſola hiſtoriæ fide à nobis proponuntur, ſolùm poſt Sanctę Sedis Apoſtolicę decretum infallibilia futura.

19 Si ergo Sancti Dei homines cælitus illuminati fuere ad virginea Matrimonia ineunda; & apud ipſos conciliari cum virginitate connubia, adſpirante Dei gratia, potuerunt; quid eſt, quod admirabilem Dei Servum, tot gratiis, tot beneficiis, tot mirabilibus ornatum ne dicam, an oneratum, ad ſimilia connubia contrahenda cœleſti illuſtratione, & gratiæ prævenientis, atque adjuvantis impulſu privare, aut viduare potuerit? Perennes illuſtrationum Divinarum radii ab Sole increato, atque indeficiente Deo optimo maximo in univerſum Orbem ſparguntur: neque ulli deeſt lux illa præſentiſſima, niſi mentibus eorum, qui piaculis ſuis fores clauſerint, & Soli illuminanti obicem poſuerint.

20 Quod ſi, ad alterum reſponſionis ſuæ caput confirmandum antiquam hiſtoriæ fidem novis obſervatiunculis obſcurare tentabant, ut virginea inſectentur Matrimonia Sanctorum; antea pacato animo meditentur, quàm viris Theologis indecorum ſit, virginea Matrimonia criminari, & in Sanctos injurioſa conquirere. Præterquam quod hiſtoriæ fides, non homini debetur recens nato, ſed illuſtribus illis Scriptoribus, qui ævo illi proximi fuerunt, in quo res, & acta memorabilia contigere.

Sed veniamus ad ſecundam, ac principem controverſiæ acceptionem.



* *Extat ejus Vita cum Miraculis, & portentis impreſſa Romæ Typis Cam. Apoſtolicæ. 1696. in 4.*

Digitized by Google

*Reſolutio quæſtionis juxta ſecundam expoſitionem.*

21 JAm ventum eſt ad ſecundam, hoc eſt, ad veram, & propriam cauſæ Pyrauſtanæ expreſſionem.

22 Ut autem partem iſtam diſtinctè, atque ordinate diſponamus, ſtatuta aſſertione, Protheorias quaſdam, ſeu principia fundamentalia ſtabiliemus: demum ad eam confirmandam plurima argumenta ſubjiciemus.

## *ASSERTIO.*

23 Virginea Pyrauſtæ Connubia, ad Mariani Matrimonii Sanctiſſimum exemplar inſtituta, atque exacta, prudentiſſime fuere ſuſcepta; & heroicis actionibus accenſenda ſunt, atque annumeranda.

### *Protheoriæ, ſeu Principia fundamentalia.*

24 UT ergo radices,& veluti primosfontes ſancitæ aſſertionis oſtendamus, quædam de virtute heroica, de Prudentia, & de Auxiliis divinæ gratiæ, primoribus, ut dicitur, labiis, attingere oportet.

25 Prima Protheoria. Quid, & quotuplex ſit virtus heroica.

26 Virtus igitur heroica eſt habitus generalis, complectens, quod ſummum eſt in omni virtute: & tantum, ac tale humanæ rationis ſupra paſſiones prædominium cauſat in omni materia; ut nullum objectum vim habeat, aut facultatem, ad Heroem deturbandum ab eo, quod à recta ratione ſancitum fuerit. Hinc eſt, ut virtus heroica divina potius eſſe, quàm humana videatur. Actiones igitur, atque opera ejus inſigni nomine heroica dicuntur. Et ſanè, ſpectata hujus vocabuli derivatione, omnino congruenter. Heroes enim Veteribus dicti ſunt, qui mortales cùm eſſent, rerum tamen à ſe geſtarum magnitudine, quàm proximè ad Deos immortales accedere videbantur: eamque apud homines virtutis opinionem meruerunt, ut poſt mortem in Deorum Album crederentur relati. Hinc antiquitas fabulata eſt, Heroes Semideos eſſe; altero parente Deo; altero mortali prognatos. Unde eſt, ut Heros ab Antiquis definiretur: Qui neque homo eſt, neque Deus, ſed ſimul utrumque.

27 Porro virtutis heroicæ fundamentum attigit Ariſtoteles lib. 7. Moralium Nichomachiorum, cap. 1. illudque clariùs aperuit D. Thomas in Commentariis ad eum locum. Nam conſiderandum eſt, inquit, quod Anima humana media eſt inter Superiores, ſeu divinas ſubſtantias,

tias, quibus communicat per intellectum; & animalia bruta, quibus communicat in ſenſitivis potentiis. Sicut ergo affectiones ſenſitivæ partis aliquando in homine tam depravatè corrumpuntur, ut homo ipſe beſtiarum ſimilitudinem referat; quod vitium dicitur Beſtialitas: ita etiam pars rationalis quandoque in homine tam altè, inſigniterque perficitur, ut homo ipſe ſubſtantias ſeparatas, ſeu Angelos æmuletur: quæ virtus à Philoſophis, ac Theologis Heroica, ac Divina, ſeu pluſquam humana appellatur. Ita ſubſtantialiter D. Thomas. Cùm ergo Pyrauſta ita fuerit ſuis connubiis delectatus, non ut, belluarum more, nihil quidquam, præter coitum cogitaverit, ſed ut puriſſimus Angelus cum Sponſis ſe geſſerit, ac fuerit converſatus; quis heroicam, & pluſquam humanam virtutem in ejus connubiis non recognoſcat? Aut quis levibus obſervatiunculis prudentiam ejus, atque Angelicam Virginitatem vellicare non erubeſcat; & non potiùs utramque ut divinam ſuſpiciat, atque admiretur? Dicant nunc, Adverſarii, num hæc ipſis ad Pyrauſtanam cauſam facere videantur.

28 Hæc autem præſtantiſſima virtus, ſeu complexio excellens virtutum omnium, duplex eſt. Acquiſita, & Infuſa; ſeu Naturalis ordinis, & Supernaturalis. Illa ſibi propoſitum habet objectum, ſeu finem naturalem, per media inferioris ordinis obtinendum: iſta verò objectum, ſeu finem ſupernaturalem, per media item ſupernaturalia, ſeu per auxilia divinæ gratiæ acquirendum. Demus exemplum utriuſque in caſtitate maritali.

29 Primum exemplum heroicæ caſtitatis maritalis. Matrona nobilis, nupta, ſpecioſiſſimæ formæ, ſollicitatur ab Amaſio, viro principe modis omnibus: primum omni genere bellariorum, & cupediarum, quæ ſunt gulæ irritamenta: ſecundò omni genere donariorum, quæ ad veſtiendi luxum, ac ſuperbiam vitæ pertinent, omnique genere pretioſarum ſupellectilium; tertiò magna vi auri, & argenti; ex quibus, avaris adoratoribus idolum conflatur &c. Sed caſtiſſima mulier omnia recuſat, omniaque remittit ad Donatorem, ne datam fidem Marito frangat, & ne illegitimam prolem in domum ejus inducat. Hujuſmodi maritalis caſtitas eſt virtus heroica ordinis naturalis. Hanc non habuit Pyrauſta de facto; neque de iſta diſputatur. Habuit tamen in præparatione animi. Quoniam cùm tanquam campeſtris œconomus formoſiſſimæ, ac ditiſſimæ Viduæ, quæ eum deperibat, inſerviret in flore ætatis ſuæ, poſſetque conſentiens incitamentis ejus, reddit. uum ipſius omnium arbitrer fieri, non ſolùm eam non audivit, ſed ante annum ab ejus ſervitio ſe ſubtrahens, ſatis oſtendit, nihil eſſe tam pretioſum, cujus gratia à propoſito virginitatis deſciſceret; multò etiam minus id facturus, ſi fuiſſet uxoratus, & in finem Matrimonii naturalem intentus.



Digitized by Google

30 Secundum exemplum heroicæ caſtitatis maritalis, & quidem ordinis ſupernaturalis, ab iis omnibus deſumi poteſt, qui in Matrimonio non prolem, non concupiſcentiæ remedium, non alium finem naturalem expetiverunt; ſed decretam communi conſenſu virginitatis cuſtodiam in finem altiorem, ac ſupernaturalem ordinarunt. Hujuſmodi porro ſunt omnia connubia virginea, ad facilius vacandum orationi directa; & ad mutuum adjutorium ſibi prꝑſtandum, in ordine ad vitam æternam comparandam, ordinata. Unde eſt, ut jure gloriaretur Pyrauſta noſter, quod geminam Columbam lacte candidiorem Cœlo educaſſet; & duobus veluti puritatis Angelis, duabus videlicet ſuis ſponſis, cœtum Angelorum auxiſſet.

31 Secunda Protheoria, Quid, & quotuplex ſit prudentia.

32 Non eàdem prudentiâ regitur virtus heroica naturalis, & ſupernaturalis. Propterea de prudentia quædam breviter prælibanda ſunt: ut liquidò pateat, quænam ſit utriuſque menſura; & per quam prudentiam connubia Pyrauſtæ dirigi, ordinarique debuerint.

33 Prudentia igitur, ut omnes norunt, eſt recta ratio agibilium, ſeu oculus mentis. Duplici autem lumine mentis oculus præditus eſſe poteſt, lumine naturæ, & lumine gratiæ. Hinc aptè dividitur à Theologis, nominatim à D. Thoma 1. 2. q. 63. art. 3. & 4. in acquiſitam, & infuſam: vel ſecundùm Scotum in 3. ſent. diſt. 36. q. 1. in communem, & extraordinariam, ſeu elevatam à charitate, & ab ipſa imperatam. Acquiſita determinat medium rationis in materia morali, in ordine ad finem naturalem: & regit hominem, ut eſt civis mundi hujus. Infra verò determinat, & ordinat bonum honeſtum in finem ſupernaturalem: & regit homines, ut *ſunt Cives Sanctorum, & domeſtici Dei*. Non eſt otioſa præſens Protheoria: ſed ordinatur ad diruendum partis adverſæ fundamentum: quod ſcilicet Matrimonium non ſit aptum medium ad ſervandum propoſitum virginitatis. In hoc enim negotio non prudentia ordinis naturalis, & acquiſita, ſed ordinis ſupernaturalis, & infuſa ſuperâdá eſt; quꝑ promovit virginitatem ejus ad gradum perfectiorem.

34 Videamus nunc, quænam Matrimonia regantur per prudentiam acquiſitam; & quænam per prudentiam infuſam. Qui enim ducit Uxorem, poteſt Matrimonium ad duplicem finem ordinare: primò ad finem naturalem; ſecundò ad finem ſupernaturalem. Finis naturalis eſt carnalis copula, concupiſcentiæ remedium, proles, & familiæ propagatio. Finis autem ſupernaturalis eſt, vitam in duplici ſexu caſtè, atque illibatè traducere, eo fine ulteriori, ut alter conjugum alterum juvet, non ad traducendam modo vitam temporalem; ſed etiam, ac potiſſimùm ad conſequendam, quod caput eſt, vitam æternam. In hoc autem poſteriori plura, & multò majora bona refulgent, quàm in

in priori; nempe *Typus Virgineus unionis Chriſti cum Eccleſia*: *Amor Charitatis, non concupiſcentiæ*: *Gratia Sacramenti, non cor tantùm, ſed etiam carnem ſanctificans*: *Unio, non corporum, ſed quæ multò præſtantior eſt, animorum*. *Item ad illibata corpora, Chriſto Domino cuſtodienda, reciproca fides*: *ad orationi vacandum ſtatus expiditior*: præſertim verò *ad Sanctiſſimam Mariani Matrimonii imitationem, & cultum propagandum Angelicus modus*: quod Virgineum exemplar Pyrauſta noſter non ſolùm Sanctiſſime eſt imitatus; ſed etiam ut alii imitarentur, religioſiſſimè eſt ſępius adortus. Matrimonia priora reguntur per prudentiam acquiſitam, cùm ambo ſint ordinis naturalis. At hæc poſteriora, quæ finem ſupernaturalem reſpiciunt, non reğuntur per prudentiam acquiſitam, ſeu communem, quæ infra ſanctos iſtiuſmodi fines longo jacet intervallo; ſed per prudentiam Thomiſticam Infuſam; ſeu Scotiſticam Acquiſitam, at à charitate elevatam, atque imperatam: quæ in re noſtra idem fundamentum impertiunt; & ad ſtabiliendam aſſertionem ſancitam mirè conveniunt. Tranſeat igitur, quod ſecundùm prudentiam Acquiſitam, & communem Matrimonium non ſit aptum medium ad ſervandam, & promovendam ad ſtatum heroicum virginitatem: eſt tamen hujuſmodi ſecundùm prudentiam Infuſam, ſeu Acquiſitam, & à charitate imperatam, per quam Pyrauſtæ actiones, ac determinationes dirigebantur; & quæ de virtute in virtutem, & multò magis de gradu in gradum nos promovet.

35 Tertia Protheoria eſt de Auxiliis Divinæ gratiæ. Videtur enim, quod negans opinio, vel præſentiſſima nobis Divinæ gratiæ auxilia non admittat; vel juſtis volentibus, & conantibus non adeſſe arbitretur. Hoc autem quàm proximè accedit ad propoſitionem illam Janſenianam, quæ cùm cęteris ejus auctoris Vaticano fulmine afflata fuit. *Aliqua Dei præcepta* [quantò autem magis, ut ego opinor, conſilia?] *hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires eſſe impoſſibilia*: *deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant*. Inde enim ſic argumentor: Aut Pyrauſtæ volenti, & conanti, ſecundùm præſentes, quas habebat, vires, ad ſervandam in Matrimonio virginitatem, aderat gratia, qua hoc opus arduum, ac difficile, eidem facile redderetur: aut non aderat. Si aderat gratia; ubi eſt impoſſibilitas illa, ad tantum conſilium adimplendum, cui tamquam fundamento ſummam Pyrauſtæ imprudentiam ſuperædificant? Quid difficilè Deo eſt, per ſuam gratiam agenti? *Quis* enim, inquit Apoſtolus, *poteſt reſiſtere voluntati ejus?* Si verò dicant, juſto illi, volenti, & conanti, ſecundùm præſentes, quas habebat, vires, defuiſſe gratiam, qua opus bonum intentum poſſibile, ac facile redderetur, en temere aſſertam propoſitionem Janſenianam, à qua nobis velis, remiſque fugiendum eſt.

36 Sed

36 Sed progrediamur longiùs. Hominem juſtum Deus gratia ſua prævenit: gratia ſua adjuvat, & gratiæ ſuæ cooperantis beneficio impedimenta removet, dum opus perficit. Hæc eſt D. Pauli ſententia; dicentis: *Nihil poſſumus ex nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Item: *Deus eſt, qui operatur in nobis, velle, & perficere*; Imò eſt ſententia Chriſti Domini, Jo: 15. *Quia ſinè me nihil poteſtis facere*. Et D. Auguſtinus de Gratia, & libero arbitrio acutè; ſubtiliterque omnia complet; & paucis verbis ea, quæ poſuimus, confirmat: *Cooperando*, inquit, *perficit Deus*, *quod operando cœpit*; *quia ipſe*; *ut velimus*, *operatur incipiens*, *qui volentibus cooperatur perficiens*. Quoniam igitur per gratiam ſuam cooperantem Deus perficit opus; nequit autem perficere, niſi impedimenta removendo, impedimentorum remotio à Divina Gratia ortum habet. Idem dicit Divus Thomas in Epiſt. ad Hebræos; ceterique cum ipſo Theologi.

37 Hinc ruit opinio illa, quòd ſi Pyrauſtæ uxores diutiùs vixiſſent, & ad grandiorem perveniſſent ætatem, quando tenerum jam pronuba flamma pudorem ſollicitat, crepundia, quibus ludebant depoſuiſſent, & Matrimonii uſum depopoſciſſent: quod ſi factum non eſt; ex accidente fuit; quia morte in teneriore ætate prȩventæ ſunt. Sed falluntur; nam ex accidente non fuit; ſed ex Divinæ Gratiæ cooperatione. Diſcant ergo Adverſarii, homines pro Dei gloria operantes, & in arduis, ac difficilibus rebus conſtitutos, frui prȩſentiſſima Divinæ gratiæ aſſiſtentia, quæ implicata explicat, inacceſſa complanat, impeditura ſubmovet, & ſuavi providentia omnia adverſantia è medio tollit. *Scimus* enim, ut ait Apoſtolus ad Romanos 8. v. 28. *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, *iis*, *qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti*. Mors igitur Sponſarum Pyrauſtæ, quam in caſum, fortunamque reducunt, ab occultis Divinæ Gratiæ viribus, atque auxiliis orta eſt. Scilicet, ſummo earum bono, raptæ ſunt; *ne malitia mutaret intellectum illarum*; ſed cum beatitudine laureolam virginitatis adipiſcerentur. Miror quemquam dari poſſe Theologum, qui hanc in rebus arduis Divinæ Gratiæ aſſiſtentis prȩſentiam nondum fuerit aſſecutus; & effectus, à Gratia Dei cooperante, & impedientia removente, ſubortos ſubtrahat gratiæ, & caſui, fortunȩque concedat.

Poſitis principiis fundamentalibus, aſſertio confirmanda eſt.

### *Aſſertionis Probationes.*

38 PRimum argumentum ab auctoritate Scripturȩ deſumitur ex lib. Tobiæ cap. 6. ubi Angelus Rafael præſcripſit Tobiæ, & Saræ primum junctis in Matrimonium, ut tribus diebus, & noctibus oran-

orantes ſe à copula continerent. Et ſicuti ob incontinentiam Aſmodęus prima nocte nuptiarum ſeptem Saræ viros occidit, quoniam irruerat in copulam, *tamquam equus, & mulus quibus non eſt intellectus*: ita ob continentiam Tobiæ, Dominus in deſerto Aſmodæum ligari juſſit; & præter vitæ incolumitatem, pluribus aliis donis Tobiam cumulavit.

39 Igitur in Matrimonio multò melior eſt, & Deo multò carior continentia, quàm concupiſcentia.

40 Atqui prudentia dictat, ut id majore animi propenſione perſequamur, quod melius eſt, & Deo carius.

41 Igitur Pyrauſta prudentiſſimè egit, virginalem in Matrimoniis continentiam quærendo, non copulam: atque adeò injuria damnant Adverſarii Pyrauſtam, tamquam imprudentiſſimum hominem.

42 Confirmatur. Nam ſi tam grata Deo fuit in veteri lege connubialis continentia, quanto magis eſſe debet in lege nova ipſa virginitas, quæ poſt Meſſiæ adventum; poſt genus humanum numeroſiſſimè propagatum; & poſt virgineum Sanctiſſimæ Deiparæ, & S. Joſeph connubium, in exemplar propoſitum, tanto præſtantior eſt, atque divinior?

43 Alter Scripturæ locus habetur *ex D. Paulo, Epiſt. 1. ad Cor. cap. 7.* ubi ſi Apoſtolus in cordibus eorum nactus fuiſſet terram bonam, in quam prædicationis ſemen projiceret, tam altè pro Virgineo Matrimonio declamaſſet, quàm fortiter pro connubiali continentia perorat. Dixit tamen quantum ſat eſt ad probandum, continentiam in Matrimonio eſſe carnali commixtione meliorem. Nam v. 5. cum Conjugatis dixiſſet: *Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & item revertimini in idipſum; ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtram*; ſtatim, ne Corinthii putarent, conjugalem copulam ſibi fuiſſe præceptam, & eſſe in Matrimonio neceſſariam, ſubdit *v. 6. Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam* [hoc eſt, veniam] *non ſecundùm imperium*.

44 Ergo inde conſtat, carnalem commixtionem non eſſe in Matrimonio præceptam; imò præſtantiorem, atque optabiliorem eſſe maritalem continentiam, ac virginitatem.

45 Item, ne è converſo Corinthii crederent, ſibi datum in Matrimonio præceptum continendi, ſubdit, id ſe dixiſſe, non ad præceptum inducendum, unde propter ſuam ipſorum concupiſcentiam mœchantes &c. in laqueum diaboli traducerentur; ſed ad ſignificandam ejus vitæ; ſcilicet continentis, & virginalis, majorem utilitatem, majorem honeſtatem, & majorem facultatem ſinè impedimento vacandi orationi. Ait enim: *Porrò hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam: ſed ad id quod honeſtum eſt: & quod facultatem præbeat, ſinè impedimento Dominum obſecrandi.*

46 Ergo ab Apoſtolo utilior, felicior, ac beatior reputabatur in Matrimonio cuſtodia continentiæ, ac virginitatis, quàm uſus concupiſcentiæ, ſeu commixtio carnalis.

47 Atqui id, quod melius eſt, prudentiſſimè illi antefertur, quod eſt deterius. Igitur Pyrauſta, ſervans in Matrimonio continentiam, ac virginitatem, prudentiſſimè eſt operatus.

48 Hæc eſt D. Pauli doctrina: & licèt apertiùs loquatur de virginitate extra Matrimonium, quàm in Matrimonio; tamen rationes, quas adducit, deſumptas ab utilitate, oratione, honeſtate, majorique Dei complacentia, in utroque ſtatu Virginitatem commendat: & non minus probant de virginitate in Matrimonio, quàm extra ipſum. *Vnuſquiſque enim*, inquit v. 7. *proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius verò ſic*. Et alius movetur Dei gratia ad virginitatem ſolitariam, alius autem ad virginitatem maritalem.

49 Ex hoc ultimo Apoſtoli loco docemur, virginitatis cuſtodiam eſſe donum Dei, non opus propriæ voluntatis, aut liberi arbitrii. Nam poſtrema hæc loci hujus interpretatio, quæ habetur in libro de caſtitate tom. 5. Bibliothecæ SS. PP. Pelagiana eſt. Liber enim ille, falsò adſcriptus Syſto III. Pontifici, prodiit ex officina Pelagianorum: * ut adnotarunt Interpretes. Videant igitur adverſæ partis Aſſertores, ne in Pelagianorum errorem incidant, dum nullum donum gratiæ datum Pyrauſtæ pro cuſtodia connubialis virginitatis admittunt: ſed omnia agi viribus liberi arbitrii ſupponentes, Pyrauſtam imprudentiæ, ac temeritatis criminantur. Nam ſi ei præſens fuiſſe donum gratiæ putarent, inconſequenter deinde Pyrauſtam invaderent, & imprudentiæ, ac temeritatis accuſarent.

50 Secundum argumentum ſumitur ab auctoritate SS. PP. Nam Sancti Patres, & Sacræ Scripturæ Interpretes tum multis aliis in locis; tum præſertim in Epiſt. Apoſtoli 1. ad Cor. cap. 7. verſ. 5. *& iterum revertimini in idipſum; ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtram*; ſcilicet, quod periculum eſſet, ne in adulteria, aut alias libidinum ſpecies haberentur, ita colligunt, atque concludunt communi conſenſu: Ergo ſi ceſſet cauſa, ſcilicet periculum incontinentiæ; uti certè in iis ceſſat, qui eam generosè frenant, & domant, permittit Apoſtolus, imo tacitè ſuadet, ut ſe per totam vitam continentes, virgineſque conſervent. Particulares SS. PP. auctoritates non adducimus, primò quia in libello documenti plurimæ habentur, præſertim Doctoris Divinæ Gratiæ, S. Auguſtini: deindè ne oceanum in concha includere velle videamur.

51 Ter-

* *Negans opinio Pelagiana eſt: non minus quàm ſupra Janſenianam oſtendimus.*

51 Tertium Argumentum petitur ab exemplis Conjugium, ſanctitate, & genere illuſtrium, qui virginitatem in Matrimonio cuſtodiverunt. Nam poſt Virgineum Deiparæ, & S. Joſeph connubium, qui vexillum virginitatis conjugatis erexerunt, atque explicarunt, varia ſubſecuta ſunt virginea connubia, S. Juliani, & Baſiliſſæ, apud Surium: S. Boleslai V. Polonorum Regis, qui Pudicus inde dictus eſt, & Cuneguudis Belæ Hungarorum Regis filiæ: S. Conradi Regis, filiis Henrici IV. Imperatoris, cum Mathilde: Alphonſi II. Aſturum Regis, cum Regina, qui Caſti nomen accepit: Richardis Reginæ cum Carolo Craſſo Rege: S. Pharaildis, neptis S. Amelbergæ, ac Pipini: demum, ne plura commemorem, S. ETHELREDÆ, orientalium Anglorum Reginæ, quæ IN DUPLICI CONJUGIO virginitatem ſervavit. Atque hoc geminum Ethelredæ conjugium aliquorum ſcrupulum repellere poteſt, circa duplex Pyrauſtæ Matrimonium. Conatur negans opinio neceſſitatem aliquam obtrudere, quæ relata Virginea Matrimonia prudenter inita fuiſſe ſuadeat; qua neceſſitate Connubia Pyrauſtana caruiſſe inculcare non deſinit. Acutiſſima profectò reſponſio! Quaſi verò Matrimonium Virgineum non eſſet bonum per ſe, ſed tantùm per accidens. At nos ſuperiùs inclyta Bona retulimus, [ in Protheoriis ] quibus ſanctiſſimè refulget, & ſupra Matrimonium commune eminentiſſimè aſſurgit. Deinde unde novit contraria opinio, nullum ex relatis Matrimoniis, aliiſque plurimis, quę extant, factum fuiſſe altiori fine, quàm ſuggerat humana ratio, & lex communis connubiorum? Certè hic modus philoſophandi, rationes terrenas perquirendi; nunquamque fines ſupernaturales, & illuceſcentes Divinæ Gratiæ radios attendendi, atque captandi nimium *olet Pelagianiſmum, & Janſeniſmum.*

52 Quartum Argumentum: Qui à gradu imperfecto virtutis tranſit ad perfectiorem, quoad gradum ejus pręſtantiſſimum, ac ſummum attingat, non ſolùm prudentiæ laude, ſed virtutis heroicæ ornamentis refulget; ut conſtat ex terminis.

53 At qui Pyrauſta à gradu imperfecto virginitatis tranſivit ad perfectiorem, & tandem ſummum ejus virtutis attigit gradum. Quæ enim perfectior, atque admirabilior virginitas dari poſſit, quàm connubialis?

54 Igitur Pyrauſta non ſolùm prudentiæ laude, ſed virtutis heroicę ornamentis refulget. Negabit ne forte quiſquam virginitatem ſuos gradus admittere? Addiſcat itaque, dari Virginitatem Monaſticam, ſeu ſolitariam; dari etiam maritalem, ſeu connubialem: atque hanc, quippe magis arduam, atque difficilem, eſſe etiam illa pręſtantiorem.

55 Quintum Argumentum: Tritum eſt vetuſtate proverbium:

Exitus acta probat. *Nedum enim hominum humilium, ſed etiam ampliſſimorum Virorum conſilia ex eventu probari ſolent*: ut inquiunt Balbus, & Oppius ad Cicer. poſt Epiſt. 8. lib. 9. ad Atticum. Res enim hæc Theologico lumine non eget, ſed naturæ lumine nota eſt.

56 Atqui virginea connubia Pyrauſtæ felicem exitum habuerunt; quod nullus inficiatur.

57 Igitur prudentia, & conſilium ejus damnari non poteſt, ſed omninò probari debet.

58 Neque eſt cur hanc noſtram rationem infirmare ſtudeant, inepta paritate hominum impiorum, quibus optimo eventu, felicique arriſit aliquando Fortuna; & tamen iniquis conſiliis, ac temerariis uſi ſunt. Nam hic eventus revera à caſu, & fortuna, ſeu à concurſu caſuali plurium cauſarum contingentium naſci debuit. Deus enim iniquis conſiliis gratiæ ſuæ cooperantis auxilio non adeſt. At exitus duplicis Pyrauſtani connubii fortunatus, ac felix non à conſiliis iniquis, & pravum finem ſpectantibus, ſed in finem ſanctiſſimum, ac ſupernaturalem tendentibus ortum habuit. Quare Divinę Gratię cooperanti tribuendus eſt. *Cooperando enim perficit Deus, quod operando cœpit: quia ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*, ut ſupra ex Auguſtino retulimus, cujus ipſiſſima verba ſunt.

59 Confirmatur. Cùm enim prædicta duo Matrimonia exitum felicem ſortita ſint, vel id caſu, fortuitoque factum eſt: vel viribus naturæ: vel viribus cooperantis Divinæ Gratiæ. Neque enim aliud fingi poteſt.

60 Atqui felix ille connubiorum exitus nequit in caſum, fortunamque referri. Caſus enim, & fortuna locum non habent in rebus prævisis, deliberatis, intentis, & juxta intentionem agentis auſpicato ſuccedentibus: ut ex 2. Phyſic. notum eſt. Nequit etiam referri in vires naturales, & humanas: tum quia apud Adverſarios talia connubia temeraria fuerunt, & vires naturæ ſuperantia; unde eſt, ut ſummæ imprudentiæ Pyrauſtam inſimulent, eo quod elegerit media, quæ à propoſito virginitatis abducunt: tum etiam quia finis ſupernaturalis conſecutio viribus naturæ tribui non poteſt: alioquin finis non ampliùs ſupernaturalis, ſed naturalis exiſteret.

61 Igitur fęlix ille connubiorum exitus auxiliis Divinæ Gratię cooperantis eſt tribuendus. Atque ideò connubia illa, naturam ſuperantia, & exitum ex Divina Gratia fęlicem ſortita heroicis connubiis annumeranda ſunt.

62 Memini cùm argumenta mea ceteris eruditiſſimis ſociis communicarem, unum ex iis, quem magni facio, reſpondiſſe, fortunam, & caſum fęlicis eventus eum fuiſſe, quod puellæ defunctæ ſint, antequàm cupidinis arcum, ac Veneris tentiginem experirentur, petituræ debitum, ſi vixiſſent.

63 Sed mors puellarum non in caſum, aut fortunam referri debet; ſed in gratiam cooperantem; quæ opera bona promovet, & impedimenta removet; ut ſuperiùs ex D. Auguſtino dictum fuit. Si enim ſinè voluntate Dei capillus de capite noſtro perire non poteſt, quomodo, Deo non diſponente, creaturæ ipſæ perire, atque in florenti ætate interire poterunt?

64 Sextum Argumentum: Divæ Tereſiæ votum quartum faciendi ſemper, quod perfectius eſt, in quavis materia, ad agendum propoſita, non fuit imprudens, ac temerarium; licèt ob rei difficultatem Religio, & ſanctitas voti in diſcrimen adduceretur.

65 Ergo multo minus ſimplex propoſitum Pyrauſtę, ſervandi in connubiis virginitatem, imprudens, ac temerarium judicari debet.

66 Prima Illatio: quia etiam prætermiſſâ, ac ſpretâ inter Votum ſolenne Tereſianum, & ſimplex propoſitum Pyrauſtanum differentiâ, votum Tereſianum obligat in omni materia; at propoſitum Pyrauſtanum ad unam tantum actionum ſpeciem, neque ad ſervandam virginitatem in connubiis coarctatum fuit: Quare illud eſt iſto difficiliùs. Rurſus votum Pyrauſtanum, ad unam tantum perſonam, Tereſianum ad integram communitatem ſe extendit. Igitur difficiliùs eſt Votum Tereſianum, quàm propoſitum Pyrauſtanum.

67 Dicent fortaſſe, & D. Tereſiam elegiſſe apta media ad voti ſui finem aſſequendum; at Pyrauſtam non item.

68 Sed contra: Nam finis Voti Tereſiani ſuperat vires naturæ non minus, imò magis quàm Propoſitum Pyrauſtanum. Impoſſibile enim eſt, hominem viribus ſuis relictum, & Divinæ Gratiæ auxiliis deſtitutum ſemper ad id, quod perfectius eſt, attendere; illud aggredi; illud obtinere. *Nihil enim poſſumus ex nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; inquit Apoſtolus. Ergo ad utrumque requiruntur vires Divinæ Gratiæ. Si autem hæc intervenire debeat, nihil differentiæ, aut diverſitatis ampliùs invenitur. Nam & Votum Tereſianum, & Pyrauſtę propoſitum res ſunt, quæ aguntur ope, ac ſubſidio Divinæ Gratię cooperantis, quæ omnia vincit, & omnia ſubmovet impedimenta.

69 Contra ſecundò: quia Matrimonium licèt non ſit aptum medium ad virginitatem in ſtatu imperfecto, & communi; eſt tamen aptiſſimum, & unicè requiſitum, ac neceſſarium ad virginitatem in ſtatu heroico; cujuſmodi eſt ſola virginitas connubialis; qualis in reliquorum Sanctorum connubiis refulget.

70 Septimum Argumentum: Quoniam adverſa ſententia tota eſt in mediis, ac circumſtantiis naturalibus examinandis, has etiam perpendamus. Et quoniam circumſtantiæ vel ſe tenent ex parte Viri, vel



Digitized by Google

ex parte Mulieris, vel ex parte operis, Pyrauſta illas omnes ſervavit; Nam vel circumſtantiæ, quę per prudentiam examinantur, pertinent ad Animam; & has obſervabit, non nubendo, niſi cognita prius ſua continentia: quam cognitionem habuit ex multis contra fœminas, & dęmonem ipſum triumphis. Vel pertinent ad corpus: & has obſervabit, ſexagenarius nubendo: quando prurientes ſpiritus ſanguinis deferbuerant. Quod ſi pertineant ad mulierem, illas ſervavit, ducendo puellas teneriores, virtute prędìtas, & ad virginitatem ſervandam propenſas. Neque enim ad virgineum Matrimonium, quod habebat in votis, eligere poterat provectioris ætatis mulieres. Nam quis eum certum reddere potuiſſet, Matrimonium hujuſmodi futurum fuiſſe virgineum? Hinc cadit objectio de fœminis provectioris ætatis: & ad virgines puellas redeundum eſt. Quod ſi circumſtantiæ ſe teneant ex parte operis, quod aggrediebatur, in quo negantis ſententiæ ſumma repoſita eſt, illæ reducuntur ad circumſtantiam *Quid*. Igitur quid intendebat in ſuis Matrimoniis? Numquid ſimpliciter cuſtodire virginitatem? Ita omnino putare, atque obtrudere videtur negans opinio. Sed hoc omnino falſum eſt. Intendebat quid ampliùs; ſcilicet quod heroicum: id nempe, quod maxime arduum, ac difficile eſt. Ferebatur ergo Pyrauſtæ animus ad virginitatem in Matrimonio. Hæc erat ſumma votorum ejus.

71 * Hinc omnino corruit fundamentum adverſæ ſententiæ, quod Matrimonium fuerit medium ineptum. Nam Matrimonium continebatur, ut circumſtantia neceſſaria in fine, quem intendebat: ideoque non ut medium, ſed ut finis in mente Pyrauſtæ Matrimonium ſe habuit. Doctrina hæc ſola doloſum, & ſophiſticum negantis ſententiæ fundamentum demolitur. Repetant enim Adverſarii; quare Pyrauſta prudenter egit? Quia, inquiunt, Medium ineptum elegit, nempe Matrimonium. Atqui in mente Pyrauſtæ Matrimonium fuit circumſtantia intrinſeca Fini; & nomine Finis venire debet, non nomine Medii. Loquor de fine intrinſeco, qui reciprocatur cum objecto intento à Pyrauſta, nempe virginitas connubialis: & in cenſu circumſtantiarum dicitur, *Quid*.

72 Octavum Argumentum: Quoniam ex proximè dictis neque Matrimonium ſolum, neque virginitas ſola fuit finis intentus à Pyrauſta; ſed Matrimonium cum virginitate, hoc eſt virginitas Matrimonialis, ordinando tale virgineum connubium ad virgineum Matrimonium SS. Deiparæ cum S.Joſeph, tanquam ad finem externum, *Cur*, appellamus; vel juſto huic homini, volenti, & conanti hujuſmodi bonum opus, negans opinio concedit donum gratiæ: vel non concedit. Si concedit;

* *Doctrina diruens fundamentum adverſæ ſententiæ.*

cedit; cum alioquin negare nequeat arduum fuiſſe, & ad finem ſupernaturalem directum, neque, opinor, negabit, fuiſſe heroicum. Si verò non concedit, Pelagianum, & Janſenianum in judicando morem imitatur. Nam negare auxilia gratiæ, aut nomine gratiæ intelligere bona naturalia, quatenus à Deo nobis donata, Pelagianum eſt. Et Sancti Patres in interpretatione loci illius: *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo; alius quidem ſic; alius autem ſic*: rejiciunt interpretationem illam, tanquam Pelagianam, qua ejus farinæ homines per *donum* Dei naturales perfectiones intelligunt, non autem ſupernaturales, & à Deo auctore gratiæ deſcendentes. Rurſus ſi auxilia gratiæ inficietur, non minus cum Janſeniſtis ſentire convincitur, hoc argumento: Multo magis Deus, ex hypotheſi dati pręcepti, tenetur dare gratiam homini, ad adimplendum ipſum pręceptum; quàm adimplendum ullum conſilium. Nam in ipſius præcepti impoſitione oppignoravit veluti Deus fidem ſuam pro dandis auxiliis; ne impoſſibilia imperaſſe videretur. At non ita, aut certè multo minus tenetur ea dare in conſiliis: cùm hæc non tam à Deo proponente, quàm à nobis liberè eligentibus, provenire videantur. Atqui Janſeniſtæ ajunt, Deum non dare juſtis volentibus, & conantibus ſervare aliqua ipſius præcepta, gratiam ſuam, ad ipſa exequenda: ſed ea ipſis ſecundùm pręſentes, quas habent, vires, eſſe impoſſibilia. Igitur multò magis Janſeniſtæ ſentire, ac tenere coguntur Deum non dare iſtis volentibus, & conantibus amplecti aliqua conſilia, gratiam ſuam, ad eadem conſilia exequenda. Janſenianum ergo eſt, dicere, Deum non dare gratiam ad ardua, & difficilia conſilia, ad finem ſupernaturalem elevata. Si enim per ipſos non dat Deus, quod magis debet; multò minus ſecundùm ipſos Deus dabit, quod minus debet. Igitur ſi adverſa opinio in connubiis Pyrauſtanis ad finem ſupernaturalem elevatis, Divinæ Gratiæ auxilia non recognoſcat; Janſeniana labe infecta eſt.

73 Nonum Argumentum: Bifariam imaginari poſſumus, quod Vir caſtus, & virginitatis ornamentis jam decoratus elegerit Matrimonium: Aut ad virginitatem ſervandam: aut ad virginitatem ulteriùs in perfectione promovendam. Prima imaginatio falſa, & abſurda eſt; & à Pyrauſtæ actionibus longiſſimè remota.

74 Si enim virginitatem per totam ferè ætatem ſuam, hoc eſt, ad ſexageſimum uſque annum, ſinè Matrimonii præſidio, valuit integram, atque illibatam cuſtodire; quis ſanæ mentis unquam putet, eum ad ipſam cuſtodiendam Matrimonium elegiſſe? Quare in anteceſſum tot nuptias, & planè nobiles, ſibi oblatas rejeciſſet; ſi jam ſervandæ virginitati opportunas judicaſſet? Planè non imprudens modò, ſed ſtolidus, amens, & mente captus dici deberet. Argumentum igitur pro ea parte nihil probat, quia nimis probat. Reliquum ergo eſt, niſi abſurdas

ima-

imaginationes, ridiculas, nullaque rationis umbra commendatas in animum inducere velimus; ut aliam dilemmatis partem, quæ rationi maximè conſentanea eſt, amplectamur. Ergo Pyrauſta Matrimonii ſtatum amplexus eſt; non ad cuſtodiendam virginitatem, quod eſt immane, & inane commentum, ſed ad eam ad heroicum gradum provehendam, ac promovendam.

75 Decimum Argumentum: Qui rectè utitur prioribus Divinæ Gratiæ auxiliis, ex hoc ipſo diſponitur ad conſequendum auxilia ulteriora, ac majora; ut eſt communis Theologorum ſententia. Atqui Pyrauſta rectè uſus fuit, ante ſua virginea connubia, prioribus gratiæ auxiliis, carnem ſubigendo, tentationes ſuperando, & plures victorias, ac triumphos de fœminis obtinendo. Igitur obtinuit in Matrimonio Auxilia Divinæ Gratię ulteriora, ac majora. Neque Matrimonio uſus eſt ad ſimplicem virginitatis cuſtodiam; ſed ad ulteriorem ejus, & heroicam, per majora auxilia, perfectionem.

76 Undecimum eſt ab exemplo ceterarum Univerſitatum, ſeu Theologorum. Pariſienſes enim ſententiam ſuam hiſce conceptis verbis expreſſam ediderunt: *Pyrauſtam neque peccaſſe contra naturam, aut leges Matrimonii: neque ſecundùm eſſe imprudenter, aut temerariè ſe geſſiſſe; ſed potiùs heroicæ virtutis actus perfeciſſe*. Quid favorabilius pro cauſa Pyrauſtana dici poterat? Eandem ſententiam, ſed aliis verbis protulit Univerſitas tota Salmanticenſis in Clauſtro pleno congregata. Cùm enim quæſitum eſſet: *An Pyrauſta* (ſunt verba Univerſitatis) *primas, & ſecundas nuptias contrahendo, animo ſe conſervandi (ſi poſſibile foret) in caſto, & virginali connubio, ad inſtar Sancti Patriarchæ Joſeph cum SS. Sponſa Virgine Deipara; An ſcilicet bene ſe geſſerit; licitèque, & validè præfatas nuptias contraxerit, Deputatis, &c. Univerſitas in Clauſtro pleno affirmativè reſpondit*. Determinando enim, quod *bene ſe geſſit*; de prudentia, & heroicitate ſententiam dixit: & determinando, quod *licite, & valide*; cęteras Pyrauſtani duplicis connubii qualitates complexa eſt, nempe, quod contrahendo, ut in caſu, non peccavit; & contrahendo, validè contraxit.

77 His igitur omnibus ſedulo ac maturè conſideratis, ecquis contrariam è diametro ſententiam proferre audeat? Quis contra Pariſienſes dixerit, Pyrauſtam imprudenter, ac temerariè egiſſe; nedum heroicæ virtutis actus perfeciſſe? Quis contra Salmanticenſem Univerſitatem effutiat, non ſolùm Pyrauſtam non bene ſe geſſiſſe; ſed malè, ſed imprudenter, ſed ſtolide operatum fuiſſe? Ab hac infamiæ nota, & ab omnium dicteriis defendite gloriam, ac nomen veſtrum, Rm̄i, atque Exm̄i Patres; ut Sapientia veſtra, quàm ſuſpicio, & quàm ſemper ſum admiratus, apud omnes incrementa laudum, atque exiſtimationis recipiat.

*Dilu-*

Digitized by Google

*Diluuntur Adverſæ Partis Argumenta.*

78 AD ultimum controverſiæ caput pervenimus, hoc eſt ad diſſolutionem adverſantium Argumentorum.

79 Primum, cui tota machina innititur; quantum quidem conjicere potuimus; illud eſt, quod Pyrauſta, ad cuſtodiam ſuæ virginitatis, ineptum elegerit medium, nempe Matrimonium: quippe quod eam cuſtodiam non faciliorem, expeditioremque, ſed reddat difficiliorem: atque ita egerit imprudentiſſimè.

80 Subruimus jam à fundamentis hoc inane, atque immane commentum ſuperiùs, argumento nono. Negamus enim ſuppoſitum argumenti, quòd ad cuſtodiam virginitatis, ſimpliciter, & abſolutè ſumptæ, Pyrauſta Matrimonium elegerit. Sic enim non imprudentiſſimus tantùm, ſed amens, ac mente captus fuiſſet: quod tamen Adverſarios non puto affirmaturos. Quare argumentum nihil probat, quia nimis probat. Elegit ergo Matrimonium ad promovendam virginitatem ſuam ad ſtatum heroicum, neque ad eum ſtatum, in quo magis ardua, ac difficilis eſſet virginitatis cuſtodia. Quare connubia non ſuſcepit, ad cuſtodiam virginitatis ſimpliciter; ſed ad cuſtodiam virginitatis connubialis: & Matrimonium in hoc negotio non eſt medium, ſed conditio, ſeu circumſtantia objectiva; quæ, inter alias, circumſtantia *Quid*, appellatur.

81 Secundùm eſt: Virgineum Sanctiſſimæ Deiparæ cum S. Joſeph Matrimonium, à quibuſdam SS. PP. dicitur Inimitabile. Igitur imprudentiſſimè Pyrauſta illud ſibi propoſuit ad imitandum.

82 Duo continent Virgineum Deiparæ, & B. Joſeph Matrimonium; ſcilicet virginitatis cuſtodiam; & fœderatam cum virginitate fœcunditatem. Quantum ad hoc ſecundùm, inimitabile eſt. Sed quantum ad primum, à multis ſuſceptum fuit, genere, & ſanctitate nobiliſſimis, tanquam præſtantiſſimum exemplar ſuorum connubiorum: quibus Pyrauſta elapſo proximè ſæculo acceſſit. Quantas autem heroicas virtutes Virgineum Deiparæ, & S. Joſeph Matrimonium contineat (licèt Hæretici quidam eas obſcurare tentaverint) nos non referemus; ſed curioſos, pioſque lectores ad SS. PP., de Sanctiſſimo Virginis connubio diſſerentes, remittimus.

83 Tertium eſt: Virgo Deipara, & S. Joſeph noverant ex Angeli monitu, quod Conſors cum quo contrahebatur, non erat copulam, ſeu debitum conjugale petiturus; atque ita certus erat uterque de compoſſibilitate virginitatis, & matrimonii. At Pyrauſta non noverat, neque certus erat, Sponſas, quas ducebat, non eſſe petituras. Igitur connubia Pyrauſtæ dici non poſſunt, prudenter contracta fuiſſe; ſed omnino temere, atque imprudenter.

84 Reſp. primò, argumentum carere debita paritate. Ut enim referunt multi SS. PP. & Hiſtoriographi, omni exceptione majores, Sanctiſſima Deipara à tenerioribus annis votum virginitatis conceperat; Spiritu Sancto Sponſam ſuam, Verbi matrem futuram, interiùs prævenìente, atque excitante: ne cui, præter Deum, pretioſiſſimus ille Theſaurus committeretur. Sanctiſſima igitur Deipara Cœleſti per Angelum diſpenſatione opus habebat: Ait enim D. Auguſt. in libro de Sancta Viduitate, cap.8. *Poſt Votum non tantùm nubere, ſed velle nubere peccatum eſt*. At Pyrauſta hujuſmodi per Angelum diſpenſatione non indigebat: cùm nullius voti reus eſſet; ſed ſimplex tantùm ſervandæ virginitatis propoſitum concepiſſet.

85 Reſp. ſecundò, interrogando Adverſarios, num omnia alia Matrimonia Virginea, in anteceſſum à Viris Sanctiſſimis inita, ſimili Angelorum monitu opus habuerint. Non deſunt enim, qui cum ſimili propoſito nuptias contraxerunt. Quod ſi non ita eſt, immerito Pyrauſta carpitur, quod ſinè Angeli monitu connubia ſubierit?

86 Reſp. tertiò, quod in Matrimoniis Virgineis, quæ Dei nutu peraguntur, bonus exitus Gratiæ Divinæ cooperanti commendandus eſt. Ut enim docet D. Auguſtinus, *cooperando perficit Deus, quod operando cœpit: quia ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens*. Gratiæ hujus cooperantis providentiam Pyrauſtanorum Connubiorum exitus declaravit; Quando Sponſæ, fortè in futurum à parentibus ad petendum debitum ſubornandæ, raptæ ſunt, & Virginitatis Laureola donatæ; *ne malitia mutaret intellectum illarum*. Accedit etiam teſtimonium D. Th. 1. 2. q. 12. de Gratia, ar. 3. ubi docet, neceſſariò ſecuturum eſſe, quod per Divinam Gratiam diſpoſitum fuerit; neceſſariò inquam, ait Sanctus Doctor, non neceſſitate naturali, ſed neceſſitate infallibilitatis.

87 Quartum eſt eorum, qui damnant Pyrauſtana connubia, tanquam opera præſumptionis, nimiæque confidentiæ: quæ opera utique non ſolùm heroica non ſunt, ſed temeraria: ſicut temerarius eſſet quicumque Clauſtralis Religioſus, ductus zelo ſalutis animarum, in medium lupanar ſeſe projiciens, ut ſcorta illa, ac meretriculas, prædicatione verbi Dei, ad bonam frugem revocaret.

88 Sed reſpondendum eſt, Divinæ Gratiæ cooperantis aſſiſtentiam iis ſolùm præſtari à Deo Sole increato, *illuminante omnem hominem, venientem in hunc mundum*, qui ejus illuſtrationibus, quoquoverſum perenniter irradiantibus, obicem non ponunt, & feneſtras non claudunt. Religioſus ergo ille, ne poneret obicem, ſeu non peccaret, primò certus eſſe deberet de ſuorum Superiorum permiſſione, ac licentia. Secundò, deberet in anteceſſum expertus eſſe Divinæ Gratiæ aſſiſtentis præſentiam; ad roborandam fidem; & confirmandam ſpem.

Ter-

Tertiò, deberet de viribus propriis diffidere; & aggredi opus, fretus viribus gratiæ. Quartò, per bonum uſum præcedentium Divinæ Gratiæ Auxiliorum debuiſſet ſe præparare ad obtinenda majora Gratiæ auxiliantis beneficia. Si his omnibus præſidiis munitus converſionem illam aggrederetur; non dubito, quin prædicatio optimum finem eſſet conſecutura. At ſi è contra, abſque illis præparationibus, opus aggrederetur; non converterentur meretriculæ; ſed perverterentur concionatores. Non ita verò de Pyrauſta dici poteſt, qui libertatem ſuam obedientiæ voto nulli hominum mancipaverat, qui fiduciam non in viribus ſuis, ſed in Divina Gratia poſuerat; qui præterea antecedenter felicia ſimilium eventuum auſpicia, & divinorum auxiliorum præſentiam multoties fuerat expertus.

89 Quintum & ultimum eſt, videri Pyrauſtam in hoc negotio tentaſſe Deum.

90 Sed qui ſic opponunt, adeant Divum Thomam, atque alios Theologos; & intelligent, tentare Deum non eſſe ſimpliciter ſe exponere periculo peccandi ex confidentia in Deum; ſed id agere, ad experientiam ſumendam de aliquo divino Attributo. Pyrauſta hoc non fecit, ſed virginitatis promovendæ, & ad heroicum gradum perducendæ ſtudio, atque amore illectus, Virginea ſua Matrimonia contraxit.

91 Ceterum quantum interſit inter *caſtè blandiri*, quod habetur in libello dato pro documento *facti mirabilis*, & *ſubpalpare*, ſive *ſuppalpari*, quorum alterutrum ab aliis ſuffectum audio, nemo non videt.

92 Faxit Deus, ut quæ pro conſcientia, & veritate ſcripſimus, Deo Gratiarum, ac virtutum omnium largitori grata ſint primùm: Deinde Sereniſſimæ Imperatrici Cœlorum, Virginitatis exemplari clariſſimo, & Pyrauſtæ ſervo ejus, accepta: Demum puriſſimis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Doctrinis conformia. Cujus correctioni præſens opuſculum humiliter ſubmitto, meque totum D. D. D.

*Michael Verius Th. Doct. Coll., & in Univerſitate Patavina Publicus Philoſoph. Profeſſor.*

Sequuntur duo Decreta S. Collegii Patavini, quæ intervenerunt inter primum, & quartum ſuper diſtributione ſcripturarum, & hac de cauſa ab illis ſejuncta, & in hunc locum poſt eaſdem ſcripturas tranſlata, una cum recognitionibus earumdem, & ſuorum Auctorum in forma, &c.

* * * *
* *
* *
*

Die Lunæ 4. Maji 1722. Paduæ in Aula S. Collegii.

*Convocatis, & congregatis Reverendiſs., & Excellentiſs. DD. de Banca, publicis Profeſſoribus, & Promotoribus, ſenioribus, &c. Cæteris omiſſis, &c. - Quibus habitis, ut quæſtio de Pyrauſta tandem aliquando conquieſcat - Excellentiſſima Banca decrevit DD. Relatores in eadem cauſa Pyrauſtæ à S. Collegio electos, debere infra dies octo tot exempla ſuarum opinionum, ſivè typis impreſſa, ſivè manuſcripta ad ſe deferre, quot ſufficiant, ut ſingulis DD. de Collegio diſtribuantur seriò examinanda, ſuper quibus in proximè ſequutura S. Collegii convocatione, & Congregatione; Idem S. Collegium ſententiam ſuam aperire poſſit.*

Petrus Leſſius J.U.D. Cancell. Epiſc. Not. S. Collegii.

*In Chriſti nomine Amen. Anno ab ejuſdem Nativitate 1722. Indictione XV. die verò Lunæ 11. Maji Paduæ in Aula S. Collegii - Coram Illuſtriſſimo D. Auguſtino Venetiani J. V. D. Canonico Patavino, & in Epiſcopatu Paduæ ad regimen Monialium Vicario, & P. Vicario Generali &c. convocatum, & congregatum fuit S. DD. Theologorum Collegium, in quo - Cæteris omiſſis &c. - Quibus habitis fuerunt diſtributa opiniones typis impreſſæ DD. Deputatorum ad referendum, ut DD. de Collegio maturo ſuper iis adhibito ſtudio, ſententiam ſuam in proxima S. Collegii convocatione in cauſa Pyrauſtæ aperire poſſint. Cæteris omiſſis &c.*

Petrus Leſſius J.U.D. Cancell. Epiſc. Not. S. Collegii.

Fides Authenticæ circa præfatas ſcripturas ſupradictorum Doctorum Univerſitatis Patavinæ.

Fides pro prima ſcriptura.

*Felix Secundus Minato S. Theol. Doctor Collegialis Reverendiſſimor. S. Nicolai de Padua, & Sacri Collegii DD. Theologorum ejuſdem Civitatis Decanus, &c.*

*Univerſis &c. Fidem facio & atteſtor præſens opuſculum eſſe illud ipſum, quod in Sacro DD. Theologorum Collegio Paduæ diſpenſatum, & approbatum fuit, quippe continens partem affirmativam quæſtionum circa Ven. Dei ſervum Sebaſtianum Apparitium, agnomine Pyrauſtam, & Buicò ſupradictum eſſe verum ejus auctorem; In quorum fidem &c. Datum Paduæ die 29. menſis Maji An. 1722.*

Felix Secund. Minato Decan. &c. m. pr.

Lu-

LVdovicus de Campo SantiPetri J.V.D. Canonicus Patavinus, & in Epiſcopatu Paduæ Sede Epiſcopali Vacante Vicarius Generalis Capitularis, &c.

Vniverſis &c. Fidem facimus, & teſtamur ſupradictam atteſtationem eſſe ſcriptam, & ſubſcriptam manu propria Adm. Rev. Felicis Secund. Minato, & eſſe talem, qualem ſe fecit, proindeque fide dignum, cui hic, & ubique plena habeatur fides in quorum &c. Datum Paduæ in Cancel. Epiſcopali die 17. Septembris 1722.

Joannes Baptiſta Bernardi Not. Epiſc.

*Locus ✠ Sigilli*

Sequitur alia ſimilis pro ſecunda ſcriptura, quæ non extenditur eò quod ſimilis ſit ſupraſcriptæ, mutato tantùm nomine Buiçò in Vierium.

---

IN Patavinæ Reſponſionis commendationem, hoc loco ponendam cenſuimus Epiſtolam Eruditiſs. D. Comitis Foreſti Foreſti, nobilitate nedum clari, ſed & operibus celebris ob Inſtitut. Sacro morales *Clem. XI.*, & Legalia opera *Leopoldo Auguſto dicata*.

# FORESTUS FORESTUS
# FOELICI MINATO,

*Sac. Theologiæ Doctori, Sacriq; Theologorum Collegii Præſidi meritiſſimo. S. P. D.*

MAgnum fuit hoc humanitatis, & amoris in me tui argumentum, quod ſcripta in famigerata Pyrauſtæ cauſa recenter peracta, ſimul ac primum emiſſa ſunt, ut ad manus meas pervenirent, tam ſedulò diligenterque curaveris; Et quamquam ab abditis Sac. Facultatis penetralibus longè abſum, magnam tamen cœpi animo voluptatem in iis perlegendis, de quibus clariſſima ingenia, tam acutè ſubtiliterque, pro ſua opinione tuenda, ſtabiliendaque diſputarunt. Quod autem ab hoc ſapientiſſimorum Theologorum Collegio, cui tu nunc cum maxima tui nominis celebritate præes, in eam ſententiam itum ſit, quæ Pyrauſtæ pio, probòque Viro, ac Deo cùm propter varias, multaſque virtutes, tum vero præcipuè propter inſigne illud caſtiſſimæ mentis propoſitum ſummopere charo, jure favet, vehementer lætatus ſum: Optimum namque fuit, tantorumque Doctorum cœtu digniſſimum,

pro ea virtute ſtare, quę virum ardua molientem, conantem ardua, & ad ſumma tendentem, ſupra mortalium vulgus evexit, reique laudabiliter geſtæ gloria mirificè exornavit. At ut varia ſunt hominum judicia, ita minimè mirandum eſt fuiſſe quoſdam, qui omnino contra ſentirent: quemadmodum, nec defuere, qui mediam tenentes viam à temeritatis quidem, & imprudentiæ nota Pyrauſtam vindicarent, labem tamen quamdam propterea eum incurriſſe putarent, quod; *Cùm certum ſit Matrimonii ſtatum eſſe virginali imperfectiorem, ſi Pyrauſta per Matrimonium diſcrimini amittendæ virginitatis, quam incorruptè coluerat, ſeſe commiſit ſciens, & volens, periculo recedendi à priore perfectione item ſeſe commiſerit*. Veruntamen ſi à doctiſſimorum cæteroqui virorum opinione diſſentire licet, ut certè licet veritatis amore, commentitium planè puto quod confirmandæ ſuæ ſententiæ gratia in medium protulerunt: Etenim quod ipſi volunt matrimonialem ſtatum virginali imperfectiorem eſſe, id equidem concesſerim lubens ſi modò per Matrimonium eam corporum commixtionem intelligant, per quam virginitati detrimenta inferuntur. Quod ſi ſalva hac, incorruptaque ſervata, connubium contractum ſit; quis unquam affirmaverit, ſtatum Matrimonii cælibatu eſſe imperfectiorem, cùm imò longè perfectior ſtatus ille dicendus ſit, in quo difficilioris virtutis actus exercentur? Quod utique in Pyrauſtæ facto contigiſſe liquet, virginitate non ſolùm ſinè uxore, ſed, quod multo difficilius, multoque laudabilius eſt cum uxore ipſa intemeratè ſervata. At, inquiunt, Pyrauſta periculo recedendi ab hac perfectione ſeſe commiſit, quia per initum Matrimonium in amittendę virginitatis diſcrimen ſe ſponte conjecit; ac propterea in defectum incurrit. Acutè profectò: At ſapientiſſimi Viri, aut non viderunt, aut videre noluerunt, quàm cautè, & quàm prudenter Pyrauſta in Matrimonio contrahendo ſe geſſerit: Neque enim animi levitate, aut inſano puellarum amore captus, quod à quibuſdam falsò, impudenterque illi objectum eſt, in connubia ſe dejecit, ſed attenta circumſpectione, maturoque conſilio, & quod caput eſt, maximèque obſervandum, ea conditione Matrimonium delegit, *ut ſi fieri poſſet*, virginitatem in ipſo Matrimonio coleret, & à puriſſimo, ac planè cœleſti illo D. Joſephi connubio, ſibi ſumeret heroicę caſtitatis exemplum. Cujus ſanè conditionis, ſi bene perpendatur tanta vis eſt; ut quam Pyrauſtæ opponunt, *præſumptionem gratiæ*, & *nimiam confidentiam* prorſus excludat. Quæ enim gratiæ pręſumptio, quæ nimia confidentia iſta tandem eſt, ubi intrà *poſſibilitatis conditionatæ* terminos (vocibus utor etſi minus latinis, ad explicandum tamen aptiſſimis) moralis virtutis actus concluditur? Errant autem, palmaremque errorem errant, qui putant debuiſſe Pyrauſtam à contrahendo conjugio ſe abſtinere, ut ſervandæ virginitatis propoſito rectiùs conſule-

rer:

ret: Nam cùm Vir præſtantiſſimus, & ad ſublimia erectus in mediocri laude poſitùm eſſe cenſeret, quod pluribus commune eſſet, rem difficillimam, eamdemque glorioſiſſimam, ac pauciſſimis conceſſam, magno animo concipiens, virginitatem, vel in ipſo Matrimonio cuſtodiendam ita ſibi propoſuit, ut ad caſtiſſimum, intemeratumque D. Joſephi conjugium, non ſuis quidem viribus temere fidens, non præſumptione gratiæ elatus, ſed ſi fieri tantùm poſſet, cœleſti ope ſuffultus, propiùs accederet. Qua in re quis non videt, ducendam omnino illi uxorem fuiſſe, ut ſuæ mentis deſtinationem ad actum perduceret; Quod ſi mortalium ſenſus, cogitationeſque Deo patent, ut certè patent (*oculi enim Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes* *) minimè dubitandum eſt, quin ſummum illud, æternumque Numen, ad tanti viri pietatem benignè reſpiciens, conſilium ejus peculiari, ac præcipuo quodam auxilio juverit, præſenſque ei fuerit per ſingularem, ac victricem illam gratiam, unde omnis humana fortitudo manat, ne à ſanctiſſimo propoſito unquam deſciſceret. Ex quo illud manifeſtè ſequitur, divina prorſus providentia, quæ cuncta in orbe terrarum mirabiliter diſponit factum fuiſſe, ut tales uxores Pyrauſtæ proponentur, quales omnino neceſſariæ eſſent ad tantæ virtutis opus explendum, & à quibus nihil ſibi timendum foret, nullumque virginitatis amittendæ periculum immineret: Ut enim Deus volentes adjuvat, & iis, quos ipſe in vaſa miſericordiæ elegit, omnia cooperantur in bonum, quemadmodum Apoſtolus monet, ita ſine dubitatione ulla credendum eſt, puellas in Matrimonium à Pyrauſta ductas, ea prorſus mente præditas fuiſſe, ut mariti ſanctimoniam vel maximè perficerent: veriſſimè enim dictum eſt: *Domus, & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens* **. Quæ cùm ita ſint, immeritò ſanè quidam putant, Pyrauſtam injuſtitiæ labe laborare, quod ſponſarum conſenſum de virginitate ſervanda non antea exploraverit: Quid enim per Deum immortalem hujuſmodi indagine opus illi fuit, qui ſibi ſatis abundè prudentiſſima conditione caverit, qui ſatis apertè puellarum parentibus, ſuæ mentis propoſitum *dictitando* declaraverit: Qui Sanctiſſimum Joſephum, ſi fieri tandem poſſet, imitandum decreverit: qui denique in ipſo Matrimonio, in ipſa familiari conſuetudine, atque convictu, ne minimo quidem indicio adduci unquam potuerit, ut vel leviſſimè ſuſpicaretur, an uxores cuperent jure connubiali uti velle, & aliter ſe haberi, ac haberentur à Viro, qui non ut maritus, ſed ut pater ſe gereret erga illas? Hinc repetita illa proteſtatio *ſe tutum eſſe in conſcientia*, nec ab uxorum voluntate proceſſiſſe turbas illas, quas earum pa-

* *Eccleſiaſtic. cap.23. n.28.* ** *Prov. cap. 19. n.14.*

parentes alienis divitiis inhiantes dumtaxat excitaverant. Atque pauca hæc præſtantiſſime Doctor ad te ſcribere volui, non ut Theologum agerem, ſed ut opinionem, quæ de Collegii ſententia frequentiſſimis ſuffragiis comprobata eſt, cum pietati, tum maximè rationi conſonam fuiſſe pro viribus oſtenderem. Reliquum eſt, ut Deus Opt. Max. cujus eximia benignitas præclaris conatibus numquam deeſt, latentem nunc ſub modio Pyrauſtæ lucem in apertum proferat, ejuſque heroicæ virtuti debita præmia quandoque perſolvat. Vale, Ex Ædibus VIII. Kal. Junias MDCCXXII.

*Ludovicus de CampoSanti Petri J.U.D. Canonicus Patavinus, & in Epiſcopatu Paduæ Sede Epiſcopali vacante Vic. Generalis Capitularis &c.*

*Univerſis &c. Fidem facimus, & atteſtamur, ſupradictam Epiſtolam eſſe ſcriptam manu propria Nob. Co. Foreſti Foreſti, eumque eſſe fide dignum, in quorum &c. Dat. Paduæ in Cancellaria Epiſcopali die 4. Septembris 1722.*

Sebaſt. Cappelo J.U.D. Not. Epiſcopalis Sed. Vac.

*Locus ✠ Sigilli.*

---

*Hoc jam in diverſorio eſt tertio ex DD. Salmanticenſibus locus, quem poſt ſecundum eorundem ſuperiùs habere nequivit, ob rationem ibi ab Univerſitatis Secretario adductam pag. 133. circa finem, ab eoque, cùm redux fuerit Salmanticam enunciatus Doctor denuò repetitam inferiùs, poſt ſubſequens illius Suffragium.*

VO-

# V O T U M

*Reverendiſs. P. Magiſtri*

# EMMANUELIS GENERELO,

## E T  E S P I N O L A.

*Clericorum Regul. Minorum, Sacræ Scripturæ Cathedratici primarii, in Salmanticen. Univerſ.*

1 REx Dominus Noſter, ( quem Deus conſervet, & cuſtodiat ) per literam de mandato ad Univerſitatem Salmaticenſem directam, eidem Univerſitati intelligere fecit, gratum ſibi futurum, ſi ad aures ejus pervenire faceret ſuum dictamen ſuper ea, quæ geſta fuerunt à Venerabili Fr. Sebaſtiano de Apparitio Seraphici Ordinis S. Franciſci in contrahendo eo tempore, quo erat ſolutus, & in ſtatu libero ſemel, & iterum, Matrimonium, cum animo ſervandi caſtitatem virginalem. Et cùm mihi Clauſtrum non fuerit dedignatum honorem impartiri, ut unus eſſem inter alios tres ex ſuis Reverendiſſimis Theologis, & quatuor Sapientiſſimis Doctoribus in Sacris Canonibus, ut inter nos Punctum diſcuteremur, & ad ipſam Univerſitatem Votum deferremus; illud Clauſtri pleni fuit Conſultationis Venerabilem *bene ſe geſſiſſe*.

2 Fundamenta, quibus in particulari Congreſſu, meum conatus fui ſtabilire dictamen, ſunt ſequentia. Supponendo ut majori procedam claritate factum, fideliter tranſcriptum, ab una ſcriptura typis mandata, quę nobis communicata fuit; clauſula, in qua præſens proponitur difficultas ita ait: *Poſtmodum ſexagenarius prudenter perpendens non eſſe bonum hominem eſſe ſolum, ſociam ſibi quærere cogitavit, talem quidem, uti dictitabat, cùm qua, ſi poſſibile foret, vivere liceret in caſto, & virginali connubio, ad inſtar Sancti Patriarchæ Joſeph, cum SS. Sponſa Virgine Deipara: Itaut jugum Matrimonii, abſque carnis tribulatione, ſerena pace ſuſtinere valeret.* Poſt obitum primæ Sponſæ tranſiit Venerabilis ad ſecundas nuptias, cum eodem propoſito, cum quo primas contraxerat. *Poſtmodum iniit Matrimonium ſecundum, eodem propoſito caſtitatis, & virginitatis, eiſdem proteſtationibus, & in ſponſam aſſumpſit pauperculam pariter, ſed virtutibus excultam Puellam.* Hoc eſt Factum amborum Matrimoniorum,



Digitized by Google

& conſultatio, aut dubium, quod in ipſis occurrit, eſt idem (ſuppoſita tamen plus reſpectabili differentia inter Contrahentes) quod ſe obtulit Hugoni à Sancto Victore, lib. de Virginit. B.Mariç, & quod ipſe proponit ſub his terminis: *Diſcutiamus, ut poſtulas, ſi ſimul eſſe potuerunt, & conſenſus conjugalis, & propoſitum virginitatis?* Et cùm certum ſit, propoſitum Venerabilis Apparitii non fuiſſe votum aliquod impediens conjugalis ſtatus electionem, cùm tempore utriuſque contractus eſſet liber; poteſt tantùm dubitari de rectitudine facti ob graviſſima fundamenta, quç occurrunt contra licitum, & validitatem ſuorum Matrimoniorum; ſuppoſito propoſito ſe conſervandi in puritate.

3 Ex hoc infertur, quod eſtò intentum hujus virtuoſi Viri, fuerit imitari, ſi ei foret poſſibile ſponſalia Beatiſſimæ Virginis cum caſtiſſimo Sponſo Joſeph contracta, eligendo hujuſmodi ſponſalia in ideam, & exemplar ſuorum: noſtræ conſultationis difficultas non debet reputari eadem cum illa, quç variis in locis movet D.Thomas, & ſimul cum ipſo communiter Theologi, ſuper Beatiſſimæ Virginis Matrimonio; quia huic præceſſit votum abſolutum caſtitatis, aut ſaltèm conditionatum, ſecundùm ſententiarum diverſitatem, inter quas difficulter poteſt Sanctorum Patrum conformitas diſcerni; neque poteſt intelligi eadem eſſe oppoſitionem, quam habet importare votum caſtitatis, tum in ordine ad ſubſtantiam, tum in ordine ad fines Matrimonii, ac ſit illa, quæ importatur à propoſito, quod nil aliud eſt, quàm deſiderium, ſeu voluntas obſervandi caſtitatem, ſinè conſcientiæ obligatione.

4 Hac de cauſa diſtinguimus illam difficultatem ab iſta, quæ nobis proponitur diſcutienda, & examinanda in præſenti noſtra Conſultatione; eſtò hujus reſolutio fundari debeat cum multis Doctrinis, quas ibi adducit D. Thomas, cujus methodum & nos ſequemur, ſecundùm ab eo obſervata in diſputatione Matrimonii Beatiſſimæ Virginis cum Sanctiſſimo illius Sponſo, ad cujus imitationem, adſpiravit in bino ſuo noſter Venerabilis Apparitius. Ad duos articulos reducit Sanctus Doctor dubium, ac reſolutionem illius Matrimonii. In primo itaque diſputat, an fuerit conveniens? In ſecundo autem an fuerit verum, & validum? Iſtæ eædem difficultates in caſu noſtro occurrunt conſultandæ; etenim dubitari poteſt de convenientia horum iteratorum Matrimoniorum tanquam illicita; aut de eorum veritate, tamquam invalida; & quemadmodum idem Venerabilis ſua Matrimonia contraxit ad imitationem Matrimonii Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph, iſtud, & illa, eſtò inçqualia, aut inferiora, valdè conſimiles includunt difficultates; cupientes igitur ſequi veſtigia D. Thomæ in modo dicendi, eumdem ſectabimur in methodo proponendi.

§. I,

§. I.

5 IN primis videtur Venerabilis Matrimonia non fuiſſe convenientia in ordine ad intentionem, cum qua ea contraxit; quia cùm hæc eſſet velle imitari puritatem Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph ſervatam in eorum caſtiſſimis ſponſalibus proponere ſibi, & præfigere uti ideam inferioris virtutis, id quod fuit praxis glorioſiſſima eximiæ, & heroicæ Sanctitatis, vix excuſari poteſt à nota præſumptuoſæ temeritatis. Ob quam cauſam ait Eccleſia, Beatiſſimam Virginem eſſe ſolam, unicam, & ſinè exemplo in ſuis virtutibus: *Sola ſinè exemplo*; & ideò cupiens Venerabilis Apparitius deſumere pro ſuæ imitationis exemplari virginalia Beatiſſimæ Virginis ſponſalia cum D. Joſeph, potius temeritatis præſtat indicium, quàm virtuoſæ reſolutionis argumentum.

6 Secundò (& eſt Argumentum D. Thomæ, in Articulo, quem ſequimur.) Matrimonium dirigitur ad carnalem concubitum; Venerabilis Apparitius numquam eo uti voluit, eò quia hujuſmodi voluntas, & uſus opponebatur virginitati, quam ſibi ſervare propoſuerat; igitur non fuit conveniens ſibi eligere Matrimonii ſtatum, repugnantem ſtatui virginali, quem ſervare propoſuerat.

7 Tertiò (uti ex facto apparet) Parentes ſuarum Sponſarum, videntes earum filias carere exoptato Matrimonii fructu, ſuſcitarunt litigia, & diſſentiones, contra Venerabilem Apparitium, ad quæ nunquam cauſam præbere fuit licitum; igitur neque licitum fuit Matrimonium, ex cujus non uſu debebat prudenter prævenire ſequendas fore hujuſmodi inquietudines, notabili cum conſcientiarum detrimento.

8 Quartò, quia ſtante frequenti, & amabili conſortio, & ſocietate Venerabilis cum ſuis Sponſis, iſtæ valde difficulter evitare poſſent periculum, ne aliquâ libidinis flammâ accenderentur cum notabili Animarum earum periculo. Comprobatur hæc veritas experientiis, adhuc in occaſionibus non ita frequentibus, & exemplis, quę tum in ſacris, tum humanis leguntur hiſtoriis, iteratis in tot, qui propriis ipſorum ruinis didicere pericula, quibus diverſorum ſexuum familiaris communicatio eſt expoſita. Hæc eadem pericula evitanda, & removenda prædicant Magiſtri Spiritus, & Sancti Patres, & Eccleſiæ Doctores, inter quos ſic loquitur D. Hieronymus queſt. 4. ad Jovin. *Quomodò qui ignem attigerit ſtatim aduritur, ita Vir tactu fœmina ſentit naturam ſuam, & diverſitatem ſexus intelligit*. Sunt æqualiter ſignificativa verba Magni Baſilii lib. de vera Virginit. *Gravis, & vehemens virorum erga fœminas urget concupiſcentia, & maſculinis corporibus eſt indita, ut non poſſit evelli, quæ niſi vi quadam opprimatur, pudorem*

*omnem paulatim exuerit, ipſumque judicium, & ſanitatem mentis evertit*; unde, ibidem, ſuis prævenit conſiliis illis, qui ex eodem thalamo nati ſunt, ut in unione ſanguinis minimè fidentes, ſibi caveant, & conſtituant ſe in tuto, cautè ad invicem ſe ſeparando; dum jam ab Amnon, & Thamar ſimiles, & ita familiares converſationes conſtat non eſſe ſecuras, nec in conjunctione ſanguinis eſſe fidendum; igitur nequivit Ven. Aparicius licitè exponere ſuas ſponſas hujuſmodi periculis familiaris commercii, dum ſuum ſervandæ virginitatis propoſitum, non videtur potuiſſe locum relinquere animo dictis periculis occurrendi, cum licentiis in Matrimonio permiſſis.

9 Quintò, quia tranſitus ad ſecundas nuptias, primis novas ſuperaddit difficultates. Apoſtolus ita ad Corinth. 1. ait cap. 7. *ſolutus es ab Uxore, noli quærere Uxorem*; Contraventio huic Doctrinę per tranſitum ad ſecundas nuptias, facit quod ſecundum Matrimonium magis vituperio, quàm laude dignum reputetur; eò quia auſertur per ſecundum Matrimonium ab homine illa libertas, in qua poſitus fuerat per ſolutionem primi vinculi matrimonialis, in quo liberè poterat Deo dicare omnes animi ſui curas, abſque illâ complacendi ſuæ Sponſæ; dato igitur, quod licitum fuiſſet Venerabili noſtrę Conſultationis primum Matrimonium ab eo contractum, non tamen fuit licitum illud ſecundum quod ipſe poſt obitum primæ Uxoris contraxit.

10 Tandem in ſecundis nuptiis, multis periculis expoſuit propriam virginitatem, cui dicaverat virtuoſas ejus animi reſolutiones; & videtur hoc fuiſſe velle Deum tentare, & periculo exponere victoriam caſtitatis, quam in primo Matrimonio reportaverat; ſicuti effectivè erat velle ſuperare carnalis concupiſcentiæ ſtimulos antè conſpectum proximorum periculorum, & occaſionum. Neque virtuti prudentiæ adſcribendum videtur eligere medium tam inadaptatum, quale erat iteratum Matrimonium, ad propriam ſervandam animę, & corporis caſtitatem, cùm ibi occaſiones inſtent, & permiſſio fruſtrat motiva ſuperiora, quæ retrahunt.

11 In oppoſitum illius, quod ſuadere poſſent ſuperadducta argumenta, reperiuntur quamplura canonizata exempla multorum Heroum, qui in Catalogo Sanctorum adorantur adſcripti; qui indulgentes aliorum ſuadentibus inſtantiis, matrimoniali vinculo ſe adſtrinxerunt; nonnulli ad inſtantiam Regnorum, quę adſpirarunt, media ſucceſſione prolis ſuorum Monarcharum, relinquere Regni legitimum hæredem, & ſucceſſorem; Alii ad ſuaſionem ſuorum Parentum, qui eodem medio, puta, deſideratæ prolis, curarunt proprii ſeminis propagationem, ſuarum Domorum legitimum conſtituere ſucceſſorem, & hęredem, & hoc non obſtante in ſtatu Matrimonii ſe abſtinere voluerunt ab omni carnali concubitu, qui in eo ſtatu eis erat licitè permiſſus.

Sic

Sic ſe habuerunt Pulcheria, & Marcianus, & Baſiliſa, quorum Virginalis pudicitia in ſtatu Matrimonii obſervata, à cœlo ipſo ſenſibilibus vocibus canonizata fuit, ut refert Sur. die xI. Januarii *Viciſti Juliane viciſti*: Idem pariter legitur de S.Henrico Imperatore cum S.Canegunda ejus ſponſa, de quo ſic Sancta Eccleſia in ejus officio die 15. Julii. *Virginitatem raro exemplo Matrimonio junxit, Sanctamque Cunegundam conjugem ſuam, propinquis ejus, morti proximus, illibatam reſtituit*. Idem habetur de Sancta Cęcilia, & Valeriano, qui Matrimonio juncti caſtitatem ſervarunt. Et tamen credendum eſt, quòd hi, qui ad inſtantiam, vel perſuaſionem aliorum amplexati ſunt ſtatum matrimonialem, & in ipſo ſervarunt puritatem virginalem, certum eſt Matrimonium contraxiſſe cum propoſito in eo ſervandi virginalem caſtitatem; & eſt adamuſſim caſus pręſentis Conſultationis.

12 Hinc reſpondetur, Matrimonium, à Venerabili contractum cum propoſito ſervandi in eo perpetuam caſtitatem, non ſolùm fuiſſe conveniens, ſivè licitum, verùm omni laude, & præconio celebrandum, veluti opus heroicum eminentis Spiritus, ad quod ſpecialis divina gratia ſuperiori, & ſpecialiſſimo influxu concurrit: quia nequit operis executio eſſe glorioſa, & propoſitum illud exequendi eſſe defectuoſum. Conſervatio caſtitatis in Matrimonio, manifeſtum magnæ virtutis prębet indicium, ad quale opus patrandum requiritur, quod per ſpecialis divinæ gratiæ adjutorium infirma noſtri Spiritus libertas corroboretur. Idem ergo judicium ferendum eſt erga illum, qui contrahit Matrimonium cum propoſito nuptiale Thalamum ſervandi impollutum, & intactum. Et hoc comprobatur per deſcriptionem heroicorum operum, inter quæ ea numerantur, ad quę patranda requiritur ſpecialis excellentia ſuperexcedens ordinem virtutis regulariter, & communiter acceptæ; & cùm ſit opus valde ſuperius ordinaria virtute, reportare caſtitatis triumphum in medio continuatæ, & frequentis occaſionis, teneræ, & affectuoſæ familiaritatis, qualis eſt illa vinculi matrimonialis, ſicuti explicabat D. Ber. ſer. 65. in Cant. *Cùm fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonnè plus eſt, quàm mortuum ſuſcitare?* Cùm igitur appareat Venerabilem Apparitium has omnes ſuperaſſe difficultates, in eo neceſſariò debemus cognoſcere ſingularem extitiſſe virtutem, in reſolutione, & in obſervantia ejuſdem, in propoſito, & in executione; ſicuti & in eo admittere ſpecialiſſimam divinę gratię aſſiſtentiam.

13 Hoc utique divinæ gratiæ ſpeciale donum eſt (ajebat D. Thomas) quod conceditur cuilibet homini ſecundùm operum excellentiam, aut ſecundùm munus ad quod à Deo deſtinatur. D. Thom. 3. part. quęſt. 27. art. 5. ad 1. *Unicuique à Deo datur gratia, ſecundùm hoc, ad quod eligitur*. Et cùm ſit præclariſſimæ, & excellentis virtutis opus, pro-

propriam ſervare caſtitatem virginalem in medio aſſiduæ communicationis, quam ſtatus matrimonialis importat; Venerabilis Apparitius numquam ſuum fuiſſet aſſecutus intentum, niſi divina gratia ad hujus heroicę operationis executionem, ſuum non præſtitiſſet concurſum. Ex hoc toto, aliud conficitur argumentum, quod noſtram convincit ſub his terminis reſolutionem. Venerabilem Apparitium conſervaſſe ſuam virginalem caſtitatem in ſtatu matrimoniali, executionem fuiſſe aſſeritur illius propoſiti, cum quo Matrimonium contraxit; Non eſt dicendum, neque unquam credendum Dominum Deum ſpecialem ſuam contribuiſſe gratiam ad propoſitum defectuoſum eliciendum; Igitur contraxiſſe Matrimonium cum propoſito ſervandi in eo caſtitatem, non fuit illicitum.

14 Remanet reſponſio ad argumenta in principio propoſita. Ad primum, quod temeritatis, & præſumptuoſitatis notâ redarguit animum Venerabilis, qui adeò ſublimi idea imitari propoſuit in duobus ejus Matrimoniis puriſſimum Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph conjugium, idem dicendum eſt, quod dixit D.Aug. lib.23. controv. contra Fauſtum cap. 81. *Et nè omnes Fideles Chriſti id, quod ſibi conjuges carne miſcentur, tam magnum in conjugio deputarent, ut ſinè hoc conjuges eſſe non poſſe crederent; ſed potius dicerent fidelia conjugia multò familiariùs ſe adhærere membris Chriſti, quantò potuiſſent imitari Parentes Chriſti*. Si igitur ex imitatione in ordine ad puritatem ſervandam in Matrimonio contracto à Fdelibus, ſumere in exemplum puriſſimum Beatiſſimæ Virginis Matrimonium, major perfectio arguitur; qua ratione, temeritate, redarguendum, erit noſtri Venerabilis propoſitum ad illud imitandum deſumptum? Neque verba Eccleſiæ, per quæ Beata Virgo nominatur ſola, & ſinè exemplo in altitudine ſuarum virtutum, ſufficiunt ad probandum eaſdem virtutes eſſe non poſſe fidelibus exemplaria imitanda, eſto *ſinè exemplo dicantur*; quia nemini erit poſſibile pervenire ad illam perfectionem, qua Beatiſſima Virgo eas exercuit, non tamen, quia fideles aſpirare non valeant ad eas imitandas.

15 Et iſte arguendi modus habendus eſt pro non ſecuro, ſi attendatur ad repetita teſtimonia, & textus, in quibus ipſemet Chriſtus proponitur utpote idea, & exemplar Chriſtianæ imitationis, ſufficiat illud Joann. cap.13. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; Et ſi poſſunt, & debent, etiam Chriſti membra Chriſtum, tamquam eorum Caput, ſibi proponere in exemplum imitandum ſuę Chriſtianę perfectionis; quare præſumptio judicari debet, aſpirare, & conari aliam ſanctitatem inferiorem imitari? Conſimile argumentum, quod formatur contra factum noſtri Venerabilis, ſibi ipſi oppoſuit D.Auguſtinus ſerm.47. de Sanctis, dum ſuadebat fideles ad imitan-

tandum noſtræ Sanctæ Fidei Heroes: *Sed dicet aliquis & quis eſt, qui poſſit Beatorum Martyrum veſtigia ſequi?* Huic objectioni reſpondit Sanctus Doctor. *Huic ego reſpondeo: Quia non ſolùm Martyres, ſed & ipſum Dominum, cum ipſius adjutorio, ſi volumus, poſſumus imitari.* Et hoc confirmat media ipſius æternæ veritatis atteſtatione, quę ſic ait Matth. cap. 11. v. 19. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Superaddita D. Petri authorit. ep. 1. c. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Ex quibus infertur, quod cùm ſit poſſibilis imitatio ejuſdem Chriſti, & aſpirare, & ſatagere ut opera noſtra Chriſti operibus conformentur, non eſt reputanda, tamquam præſumptuoſa, hujus noſtri Venerabilis reſolutio, & intentio in eligendo in exemplum, & in ideam caſtitatis, quam ſibi obſervandam propoſuit in duobus ſuis Matrimoniis, virginale commercium, cum quo Beatiſſima Virgo Maria, & S. Joſeph vixerunt in ſuo. Neque ad illius virtuoſam ſpectabat prudentiam eligere aliud inferius exemplar, cui aſſimilare poſſet animi ſui propoſita, quia aliud tutius ſibi non poterat repręſentari exemplum, cui in exercendo aliquod virtuoſum opus conformari poſſet, quàm illa in qua virtus ipſa in ſui eminentiori perfectione reperitur. Et cùm Matrimonium Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph ſuper omnia alia excellentiùs in puritate reſplendeant, nobiliorem non poterat ſibi præfigere imitandam ideam.

16 Ad ſecundum Argumentum (præſcindendo pro nunc ab ordine directo ad copulam) dicendum eſt, quòd dicit D. Thomas in reſponſione ad ſuum argumentum 3. part. quęſt. 29. art. 1. ad 1. quòd noſter Venerabilis Apparitius *ex inſtinctu Spiritus Sancti credendus eſt deſponſari voluiſſe, confidens de Domini auxilio, quod numquam ad carnalem copulam perveniret; Hoc tamen divino commiſit arbitrio.* Specialis Spiritus Sancti inſtinctus extat perſuaſus ex ſpeciali Dei gratia, quæ neceſſariò requiritur, ut ad praxim reduci poſſit heroica reſolutio, & cum eo, quod dicebat D. Paulus ad Corinth. 2. c. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ex quo deducitur illam virtuoſam cogitationem, à qua ſumpſit initium propoſitum noſtri Ven. Apparitii ex alio non potuiſſe provenire, quàm ex ſpeciali Dei inſtinctu. Quod autem tota fiducia ſervandi in Matrimonio puritatem, inniteretur ſupernaturalibus auxiliis, clarè convincitur ex illa reſtrictione ſui propoſiti *ſi poſſibile foret*, quoniam qui de poſſibilitate dubitabat, optimè manifeſtabat ipſum prævidere difficultates, in quas incidiſſet illius humana, & fragilis natura, ut executioni mandaret tam deliberatum illius animi propoſitum; & quod inceptum opus dare non poterat ultimatam ſuo propoſito perfectionem, ſinè ſpeciali Dei auxilio.

17 Ad

Digitized by Google

17 Ad tertium reſpondetur, diſſentiones Parentum ſuarum Sponſarum non eſſe imputandas ad culpam noſtri Ven. Apparitii, qui non tenebatur in Matrimonio ſe gerere ad arbitrium, & voluntatem dictorum Genitorum, ſed potuit licitè uti jure ſuo, tractando Matrimonium omni cum puritate. Hoc idem jus mutuò habent ſponſi ad ſe abſtinendum, dum non fuerint à Conſorte requiſiti pro ſolutione debiti, quod mediante matrimoniali vinculo contrahitur; quòd clarè convincitur ex verbis ejuſdem Apoſtoli ad Corinth. 1. cap. 7. *Ut qui habent Uxores, tamquam non habentes ſint*; Cujus conſilium intelligendum eſt in ordine ad ſe abſtinendum ab uſu, & libertate, quam Matrimonii ſtatus permittit, quando juſtitia non inſtat ad debitam dandam ſatisfactionem. Reum igitur judicare noſtrum Venerabilem, & ad illius culpam adſcribere has exortas diſſentiones, idem eſt dicere, quod ad effectum illas evitandi cedere debebat ſuo juri, quod habebat, uti Maritus, ſe abſtinendi ab uſu ſuæ ſponſæ, aut poſtponere D. Pauli conſilium (in cujus executione actum heroicæ virtutis exercebat) voluntati ſuorum Socerum, qui in eorum litigiis non aliud perquirebant, quàm temporalium bonorum augmentum, in ſucceſſione filiarum ſuarum. Ad effectum convincendi majori cum claritate hujus argumenti falſitatem, & inefficaciam, ſupponamus, quòd Ven. Apparitius contraxiſſet ſua Matrimonia cum eadem intentione, cum qua regulariter contrahi ſolent, puta, cum animo deveniendi ad illorum conſummationem, & quod poſtea ſe abſtinuiſſet ab eorum conſummatione, ſicuti facere poterat. In tali caſu ſuſpenſa remanebat occaſio diſſentionum, quia æqualiter ſucceſſio deficiebat; cujus deficientia, earum erat motivum; & hoc non obſtante, nemo dicere poterit, quod ſe abſtinere ab uſu matrimoniali fuiſſet illicitum, immo ab oppoſito, ad actum heroicæ virtutis referendum eſt; Igitur Parentum Sponſarum diſſentiones non poſſunt reputari ad culpam noſtri Venerabilis, qui in ſe abſtinendo ab uſu dominii, & libertatis conſummandi Matrimonium, non ſolùm licitè fecit id quod facere poterat, immo plus quam facere debebat. Quia ejus ſpiritus ſe reſtrixit ad perfectionem conſilii Apoſtolici, nec quæri debet aliud motivum moleſtiarum ſuæ conſtantiæ oppoſitarum, quàm illud, quod adducit Apoſtolus ad Timoth. 2. cap. 3. *Omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.*

18 Ad quartum, neganda ſunt pericula ex parte Sponſarum, orta ex frequenti, & affectuoſo commercio cum Ven. Apparitio; quia ipſas non oſtendiſſe ne minimum quidem indicium, quòd ſibi diſplicerent ſui Sponſi honeſta circumſpectio, perſuadet, quòd gratia in earum animo irregularem interiorem pacem afferebat, & quod ſubjectas habebat rebelliones appetitus. Et credendum eſt, quòd dum Sponſæ hujus Viri juſti, nullâ exteriori licentiâ oſtendebant deſideria permiſſionis, æqualiter

liter bene ſe habebant, & contentæ erant in puritate commercii. Hęc ſolutio tantò eſt ſecurior, quantò eſt expreſſa doctrina Divi Thomæ in 4. ſent. diſt. 32. quęſt. 1. art. 2. Quęrit Sanctus Doctor, an Sponſus teneatur matrimoniale ſolvere debitum ſuæ Sponſæ? Et ſub hac forma ſecundum Argumentum proponit. *De quolibet debemus præſumere meliora; ſed melius eſt conjugibus continere; quàm Matrimonio uti, ergo niſi expreſsè debitum petat, debet præſumere vir, quod ei placeat continere, & ſic non tenetur ei debitum reddere.* Reſponſio Sancti Doctoris, eſt etiam noſtra. *Ad ſecundum dicendum, quod vir poteſt talem præſumptionem de Vxore habere, quando in ea ſigna contraria non videt; ſed quando videt, eſſet ſtulta præſumptio.* Talia ſigna, quæ præſumptionem magis piam impediunt, numquam viſa ſunt in duabus Sponſis noſtri Venerabilis; Igitur pręſumendum eſt ipſas voluiſſe abſtineri à carnali concubitu; Et ab hujuſmodi voluntate valde remota ſunt pericula, quę in Argumento ſupponuntur.

19 Tum etiam quia juxta mentem Divi Thomę in hoc eodem articulo, ſolutio debiti matrimonialis eſt ordinata ad evitandum incontinentiæ periculum conſortis, quando tale periculum timeri poteſt per aliquod inditium exterius; Ibidem ad primum: *Sed quando timetur ex aliquibus ſignis periculum, ad quod evitandum ordinatur debiti redditio, niſi tunc reddatur*; ideoque ſi ex parte Sponſarum talia ſigna non apparebant, & de facto non aderant, non eſt unde talia pericula eſſent timenda, quibus teneatur Sponſus occurrere. Sed tamen quando permittamus quòd aliquod ex his periculis immineret Sponſis noſtri Venerabilis, adhuc in eo ceſſabat omnis obligatio ad matrimoniale debitum ſolvendum, quando Sponſæ per aliquod ſignum exterius talis debiti ſolutionem à Sponſo non poſtulaſſent, & per tale ſignum earum deſiderium, & voluntatem non patefeciſſent. Ita expreſsè explicatur à ſupradicto Sancto Doctore in corpore art. cit. *Vir tenetur reddere, quando expreſsè ſigna in Vxore apparent voluntatis debiti reddendi.* Pericula, quibus remedium præſtare ſtudent, ſeu evitare Doctrinæ Sanctorum Patrum, ſunt extra noſtrum propoſitum; eò quia ab ipſis proponuntur, & adducuntur ad effectum evitandi domeſtica, & familiaria commercia inter eos, qui ſunt in ſtatu libero, quia inter iſtos omne genus inhoneſtæ libertatis ſemper eſt peccaminoſum, ſed non arguunt Sancti Patres domeſticam inter Sponſos familiaritatem, inter quos verſari poteſt ſecundum conſuetudinem non excedentem limites honeſtatis, abſque ullo animarum periculo. Et cum intentio Sanctorum Patrum ſit ſolùm præcavere perículoſiſſimas, & quaſi inevitabiles occaſiones, quibus eſt expoſita familiaritas, & domeſtica converſatio inter perſonas diverſi ſexus in ſtatu libero exiſtentes; fieret injuria ipſis Sanctis Patribus, ſi diceretur in eorum doctrina comprehenſum,

& per eamdem prohibitum domeſticum , & familiare commercium inter Conjugatos , in quibus licentia , & Matrimonii facultas evaneſcere facit omne periculum .

20 Ad Quintum Argumentum , quod impugnat Factum Venerabilis Apparitii , in ordine ad ſecundas nuptias ab eodem contractas , reſponſio petenda eſt ab uſu univerſaliter recepto in tota Eccleſia . Et reſpondit Divus Thomas in toto integro Articulo , in quo defendit licitas eſſe ſecundas nuptias . Sanctus Doctor ita quærit in 4. diſt.24. quæſt. 3. art. 1. *Utrum ſecundæ nuptiæ ſint licitæ?* Et ſub iſtis verbis reſpondet . *Reſpondeo dicendum , quod vinculum matrimoniale non durat , niſi uſque ad mortem, ut patet* . Rom. cap.7. *& ideò moriente altero conjugum, vinculum matrimoniale ceſſat; unde propter præcedens Matrimonium non impeditur aliquis à ſecundo , mortuo Conjuge , & ſic non ſolùm ſecundæ , ſed tertiæ , & ſic deinceps nuptiæ ſunt licitæ .* Ex quo infertur , quod ſi defectuoſum non fuit primum Matrimonium , ob cauſam propoſiti , cum quo fuit contractum à Venerabili , neque ſecundùm ; quia ſecundæ Nuptiæ non ſunt malæ , neque reprobatæ . Neque Textus D.Pauli , cùm quo præſumitur authorizare Argumentum, probat in contrarium ; quia ibi Apoſtolus conſilium præbet ad ſequendum id , quod eſt perfectius, ſed non intendit reprobare, quod eſt licitum. Ejuſdem verba hoc clarè manifeſtant , & commentant ejus doctrinam . Ad Corinth. 1. cap.7. *Si autem acceperis uxorem , non peccaſti* ; Et ille idem , qui ſecundùm Matrimonium excuſat à peccato , illud defendit tanquam licitum . Et idem Apoſtolus advertit , quod in ſuis inſtructionibus , jubere , & præcipere non intendit , ſed ſolùm conſilium præbere , ad Corinth. ubi ſupra . *De Virginibus præceptum Domini non habeo , conſilium autem do &c.* Et in præciſis terminis concludit de ſecundis nuptiis ad Corinth. ibi : *Quòd ſi dormierit vir ejus , liberata eſt, cui vult nubat , tantùm in Domino : beatior tamen erit ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium .* Ubi quamvis non concedat ſecundis nuptiis perfectionem majorem, docet tamen illos poſſe eas licitè celebrare , qui per mortem primæ Uxoris remanſerunt in ſtatu libero.

21 Neque ex diviſione ſui obſequii inter Deum, & ejus Sponſam , neque ex inferiori animi ſolicitudine erga Deum , ille qui Matrimonio jungitur amittit propriam libertatem , aliud inferri poteſt , niſi melioris conditionis ſtatus , in quo reperitur , qui manet in ſtatu libero , ac ille , qui Matrimonii vinculo eſt alligatus , ut per viam perfectionis incedat . Deus tamen neminem voluit ſub præcepto adſtringere , niſi ad illam ſolicitudinem , quam importat ſuæ Divinæ legis obſervantia ; & in eodem tempore , quo Matrimonii Sacramentum inſtituit , nullatenus reprobavit illam diviſionem ſolicitudinum , & obſequiorum , quibus pro ſui ſtatus obligatione ſinguli adſtringuntur .

22 Ad

22 Ad ultimum reſpondetur, quod pericula, quibus noſter Venerabilis ſe expoſuit, non fuerunt pericula incidendi in aliquod peccatum, ſed ſolùm non ſervandi puritatem in thalamo, quod ſibi permiſſum erat ratione vinculi conjugalis; neque erat illi aliunde prohibitum ratione alterius obligationis, cùm hæc non contrahatur per propoſitum; neque ſit obligatio ſequendi conſilia. Ab illis verò periculis, quæ conducunt ad deplorabilem Animæ perditionem, valde fuit diſtans animus, & executio hujus Magni Herois, inveniendo ſua cœleſtiali prudentiâ medium, quo omnia illa cautelaret; dum elegit ſtatum, in quo etiamſi licentiis appetitus uti vellet, non erat ei illicitum, & in quo ab illarum uſu ſe abſtinendo, ad praxim reducebat actum heroicè v.. uoſum. Hæc ſtatus electio demonſtrat adfuiſſe in noſtro Venerabili quantumvis illiterato, illam ſapientiam, quam cum Ariſtotele dixit D. Thomas inveniri in Virtuoſis, ne errent in ſuis operationibus, D. Thom. 1. part. quæſt. 1. art. 6. ad 3. *Contigit enim aliquem judicare, uno modò per modum inclinationis, ſicuti qui habet habitum virtutis, rectè judicat de his, quæ ſunt ſecundùm Virtutem agendam, in quantum ab illa inclinatur; Unde in* 10. *Etich. dicitur, quod virtuoſus eſt menſura, & regula actuum humanorum.* Et concludit Sanctus, hunc judicandi modum ſpectare ad ſapientiam, quæ inter Spiritus Sancti Dona computatur, ſecundùm D. Pauli dictum ad Corinth. 1. cap. 2. quòd *Spiritualis homo judicat omnia.* Ex quo evaneſcit Imprudentiæ nota, de qua accuſari poſſet noſter Venerabilis in eligendo ſibi ſtatum conjugalem, tempore, quo fecerat propoſitum ſervandi Caſtitatem Virginalem; eò quia medio matrimonio licita ſibi faciebat ea, quæ extra matrimonium ei fuiſſent ſpirituales ruinæ. Non emittendo votum caſtitatis, licita, & honeſta fuit matrimonialis ſtatus electio; abſtinendo ſe ab iis, quæ illi licitè permittebantur in ſtatu conjugali, illius Virginitas extitit inſignita præclariſſimâ victoriâ, tantò glorioſior, quantò difficilior. Et hoc eſt omnia judicare, ut ait Apoſtolus: *ſpiritualis homo judicat omnia,* ut bene ſe cuſtodire valeret à periculis, quæ ad peccatum inducunt, & ut ad excellentiſſimum perfectionis gradum virtutis Caſtitatis actum transferre poſſet.

23 Neque negari poſſunt, neque negare intendimus pericula, quibus expoſita remanſerunt illius bona propoſita, ſed qualem culpam ille commiſiſſet in eventu, quod contra ſua propoſita operatus fuiſſet? Eſt enim indubitatum principium, quòd qui moralem habet libertatem faciendi aliquod, illud facere poteſt ſinè culpa, cùm executio dicatur uſus dominii, in quo nulli gravamen infertur; Et ſic, ſuppoſito, quòd in libertate Venerabilis eſſet contrahere Matrimonium; quoniam ſimplex propoſitum obſervandi Caſtitatem hac morali libertate non privat, quis unquam vituperare poterit illius matrimonium, quod dice-

batur uſus, aut executio liberæ facultatis, quam habebat ad poſſe illud contrahere? Neque bene intelligitur fundamentum volens ſuadere tranſitum ad ſecundas nuptias, fuiſſe tentare Deum, niſi condemnetur, ut vitioſum, intentum operandi illas actiones virtuoſas, quæ propter earum arduitatem, majori cum gloria exercentur, & in quibus reſplendent vires divinæ gratiæ, quibus initiantur, & perficiuntur.

## §. II.

24 CUm concluſum ſit cum D. Thoma hujus noſtri Venerabilis Matrimonium fuiſſe conveniens, in cujus reſolutione remanet probatum, fuiſſe licitum; remanet videnda, & reſolvenda major difficultas, & eſt eadem, quam S. Doctor proponit in 3.part. quæſt.29. art. 2. quæſtionis, quam ſequimur: *Utrum fuerit verum Matrimonium?* An Matrimonium contractum à noſtro Venerabili cum propoſito, [*ſi poſſibile foret*] ſervandi in eo perpetuam caſtitatem Virginalem, quam ſummoperè diligebat, fuerit verum Matrimonium. Sub his terminis tractanda, & agitanda eſt hujus præſentis difficultatis reſolutio; quia ſub iiſdemmet illius animus procedit, uti conſtat ex Conſultatione, quæ fuit nobis propoſita: *Sociam ſibi quærere cogitavit, talem quidem, uti dictitabat, cum qua [ſi poſſibile foret] vivere liceret in caſto, & virginali connubio*; Et ſuppoſito, quòd in Sacramento Matrimonii, ſicuti & in aliis Sacramentis, cum vero coincidit validum, his terminis indiſcriminatim utemur, ut in Reſolutione totum id comprehendatur, quod requirit praxis unius Sacramenti, quod eſt validum, & licitum.

25 Sequendo igitur in hoc Articulo, quemadmodum, & in antecedenti eamdem methodum, quem D. Thomas obſervat in ſuis, videtur, quòd Matrimonium in præſenti propoſitum, non fuerit verum Matrimonium, quia ſecundùm mentem D. Auguſtini lib. 19. contra Fauſtum cap. 26. *Matrimonium ex hoc appellatum eſt, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm ut Mater fiat.* Et cùm hæc eadem ratio dici debet mutua, & reciproca inter utrumque Conjugem, dicendum eſt Sponſum debere celebrare contractum conjugalem, *ut Pater fiat*. Venerabilis Apparitius hunc finem habere non potuit, neque hanc intentionem in contrahendo Matrimonium, dum illud contraxit cum propoſito, & deliberata reſolutione ſervandi in eo perpetuam caſtitatem virginalem; igitur non fuit hoc verum Matrimonium. Aut alio modo: Qui celebrat contractum matrimonialem cum animo, & intentione ſervandi in eo caſtitatem, illum celebrat cum intentione oppoſita ei, à quo ſecundùm mentem D. Auguſtini Matrimonium, ſuum ſigni-

ſignificatum, & nomen deſumit; igitur non eſt verum Matrimonium, illud quod cum tali intentione celebratur.

26 Secundò quodcumque Sacramentum validum, eſt perfectum; Matrimonium celebratum cum propoſito ſervandi in eo caſtitatem, non eſt perfectum, quia cùm excludat naturæ propagationem, ei deficit finis, qui dicitur perfectio contractus conjugalis; igitur Matrimonium contractum cum tali propoſito non eſt validum.

27 Tertiò ſi Vir diceret Mulieri: Volo, & aſſentior eſſe tuum Sponſum, ſub hac tamen conditione, quòd nunquam à me debitum petere debeas matrimoniale, Matrimonium non ſubſiſteret, ob interpoſitam conditionem repugnantem conſenſui, quem ipſe contractus matrimonialis requirit; hæc conditio ſolùm repugnat conſenſui in ordine ad uſum Matrimonii; igitur tale Matrimonium remanet invalidum, ſtante hujus conſenſus defectu; cùm enim in eoqui contrahit cum propoſito ſervandi virginitatem deficiat hujuſmodi conſenſus, dicendum eſt Matrimonium Ven. Apparitii non fuiſſe verum, neque validum. Idem convincitur ex *cap. fin. de condit. appoſita*, in quo reſolvitur, quòd quæcumque conditio, quæ repugnat ſubſtantiæ Matrimonii, illud invalidat; Inter quas conditiones, ſecundùm communem intelligentiam Doctorum, comprehenduntur illę, quæ opponuntur aliquibus ex bonis Matrimonii, quæ ſunt, ſicuti defendit ex ſententiarum Magiſtro D. Thomas in 4. diſt.31. quæſt.1. art.2. *Fides, Proles, & Sacramentum*; cùm ergo propoſitum ſe abſtinendi ab uſu matrimoniali opponatur ſucceſſioni, quæ eſt *bonum prolis*, videtur, quod contrahere Matrimonium cum animo, & propoſito ſe abſtinendi à ſupradicto uſu opponatur Matrimonii validitati.

28 Quartò quia reciproca corporum traditio ob finem generationis ſpectat ad eſſentiam Matrimonii; & hæc eſt illud dominium, de quo loquitur Apoſtolus; quod acquirit unus Conjugum in ordine ad alium ad Corinth. 1. cap. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter vir poteſtatem non habet ſui corporis, ſed mulier*. Ille qui contrahit cum animo, & propoſito ſervandi caſtitatem, non poteſt intelligi, quomodo poſſit velle hanc mutuam, & reciprocam corporum traditionem, quia in tali caſu duas haberet voluntates contrarias, & ad invicem oppoſitas; unam, qua vult dominii uſum in corporibus; alteram, qua vult, & intendit à tali uſu ſe abſtinere; Igitur noſtri Venerabilis propoſitum opponebatur cum eſſentia Matrimonii.

29 Hoc idem confirmatur Argumento Gratiani. Niſi ſpectaret ad eſſentiam vinculi Matrimonii ob finem generationis, mutua, & reciproca corporum traditio, tota Matrimonii eſſentia reduceretur ad ſolam unionem perſonarum diverſi ſexus, in ordine ad convivendum in bona, & fideli ſocietate, una cum mutua, & reciproca bonorum

com-

communicatione, & obligatione permanendi in dilectione, & mutuo obſequio, & reverentia reciproca; eò quia ſemel quod excludatur finis propagationis, nil aliud ſtatus conjugalis requirit. In toto hoc non ſalvatur eſſentia Matrimonii; aut dicendum eſt poſſe Matrimonium contrahi inter fratrem, & ſororem, inter quos adeſt differentia ſexus, & ſæpe videtur inter ipſos bona & dilecta ſocietas; & etiam facile eſt inter eos admittere mutuam bonorum communicationem, & reciprocam amoris correſpondentiam, obſequii, & reverentiæ; Igitur ultra iſtas rationes, quæ unitivè concurrere debent ad legalitatem contractus conjugalis, requiritur etiam mutua, & reciproca corporum traditio ob finem generationis, cui, ſi opponitur, ( ſicuti videtur probatum eſſe, ) propoſitum ſervandi perpetuam caſtitatem in Matrimonio, concluditur, quod illud, quòd cum tali propoſito celebratur, non ſit verum, neque validum.

30 Omnis contractus, in quo quiſque contrahentium remanet illuſus, dicitur nullus, & invalidus. Ita ſentit D. Thom. in 4. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. in terminis illius, qui habens impedimentum propriæ libertatis, aut ſervitutis vellet contrahere, ignaro altero conſorte talis impedimenti; *Si autem neſcit, tunc contractus nullus eſt; & ideo frigiditas, quæ cauſat talem impotentiam, ut homo non poſſit de facto ſolvere debitum, & conditio ſervitutis per quam homo non poteſt de facto liberè reddere, impediunt Matrimonium, quando alter conjugum ignorat hoc, quod alius non poteſt reddere debitum.* Ille qui contrahit cum propoſito ſe abſtinendi ab uſu matrimoniali, unà ſemel, quòd Uxor ignorat tale propoſitum, remanet hæc deluſa, & decepta, eò quia in tali caſu dominium, & poteſtas in corpora non datur utrinque mutuò, & reciproçè; & conſequenter non ſubſiſtit contractus in tali Matrimonio.

31 Tandem, Matrimonium, ( & idem dicendum eſt de quocumque alio Sacramento ) annullatur ob defectum materiæ neceſſariæ; Hæc materia neceſſaria defuit in contractu matrimoniali noſtri Venerabilis', eò quia hujus Sacramenti materia remota, ſunt corpora contrahentium ad generationem apta; materia verò proxima eſt horum corporum mutua, & reciproca traditio ad finem generationis; & talis mutua traditio non ſalvatur, quando unus Contrahentium emiſit propoſitum ſe abſtinendi ab uſu matrimoniali; Igitur contractus, quos noſter Venerabilis celebravit cum jam ſupra relato propoſito non fuerunt vera Matrimonia.

32 Ad oppoſitum Argumentorum, quæ adducuntur ad impugnandum valorem Matrimoniorum Ven. Apparitii extant, Sanctorum Patrum, & Theologorum Authoritates, & Sententiæ, qui defendunt, & ſuſtinent, tamquam verum, validum, ac legitimum Matrimonium

Bea-

Beatiſſimæ Virginis cum D. Joſeph; cùm aliqui ſentiant Beatiſſimam Virginem, antequam eſſet deſponſata emiſiſſe votum abſolutum caſtitatis; cum qua doctrina clarè convincitur contractum noſtri Venerabilis fuiſſe verum Matrimonium; & ratio eſt urgentiſſima, quia magis opponitur uni ex bonis eſſentialibus Matrimonii, puta ***bonum prolis*** votum caſtitatis, quàm ſimplex propoſitum ſervandi illam; & ratio eſt quia votum reddit illicitam debiti matrimonialis petitionem in ordine ad illum, qui voti ligamine eſt adſtrictus; & è contra ſimplex propoſitum non opponitur poteſtati petendi hujuſmodi debiti ſolutionem; Igitur ſi ſalvatur valor veri, & legitimi Matrimonii, quod contrahitur inter perſonas, quarum una voto abſoluto caſtitatis eſt adſtricta, negari non poteſt validitas illius Matrimonii, cui tantùm in uno contrahentium præcedit ſimplex propoſitum ſervandi eamdem caſtitatem.

33 Quia tamen noſtrum intentum non eſt concordare textus, & ſententias Sanctorum Patrum, & horum primam ſequendo, videtur omitti difficultas noſtræ Conſultationis; & quia cupimus eam reſolvere ad conformitatem Doctrinæ D. Thomæ, quæ ſola reddere poteſt magis difficilem reſolutionem; ſentiendum eſt, tamquam expreſſam Sancti Doctoris Doctrinam, Beatiſſimam Virginem non feciſſe votum abſolutum caſtitatis, antequam contraheret Matrimonium. Hæc ſunt verba illius 3. part. quæſt. 28. art. 4. in corp. *Verùm quia tempore legis oportebat generationi inſiſtere, tam mulieres, quàm viros, (quia ſecundùm carnis originem, cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Chriſtus naſceretur) Mater Dei non creditur, antequam deſponſaretur Joſeph, abſolutè virginitatem voviſſe; ſed licèt eam in deſiderio habuerit, ſuper hoc tamen voluntatem ſuam divino commiſit arbitrio: Poſtmodum accepto Sponſo, ſecundùm quod mores illius temporis exigebant, ſimul cum eo votum virginitatis emiſit.* Ubi expreſsè declarat ſuam mentem, votum abſolutum caſtitatis à Beatiſſima Virgine emiſſum, & quod fuit neceſſarium, (ſicuti ibi Sanctus Doctor defendit) ut magis laudabilis fuiſſet in ea, ſervata virginalis puritas, non fuiſſe ante ſponſalia illius, ſed poſtquam fuerunt contracta; & tunc de communi conſenſu, & reciproca determinatione ambo puriſſimi Conjuges, tale votum emiſerunt. Idem exprimit in hoc articulo in ſolutione ad tertium Argumentum, quod conficitur ex verbis D. Pauli, qui damnat, ſponſalia in illis, qui fecerunt votum caſtitatis, & etiam improbat in illis voluntatem contrahendi: ***Dicendum, quod Verbum illud Apoſtoli eſt intelligendum de illis, qui abſolutè caſtitatem vovent, quod quidem Mater Dei non fecit, antequam Joſeph deſponſaretur: ſed poſt deſponſationem ex communi voluntate, ſimul cum Sponſo ſuo votum virginitatis emiſit.***

34 Quamvis literalis ſententia D. Thomæ clarè dicat, votum abſolutum caſtitatis emiſſum à Beatiſſima Virgine, non fuiſſe antecedens, ſed ſubſequens, & poſterius illius caſtiſſimo Matrimonio; hoc non obſtante, ſentit quòd in ipſa Beatiſſima Virgine præceſſit votum caſtitatis conditionatum ad fidelem contractum ſui honeſtiſſimi Matrimonii. Ita exprimit in præſenti articulo reſpondendo ad primum Argumentum. *Ad primum ergo dicendum, quòd quia videbatur eſſe lege prohibitum, non dare operam ad relinquendum ſemen ſuper terram; ideo non ſimpliciter vovit virginitatem Dei Genitrix, ſed ſub conditione, ſi Deo placeret; Poſtquam autem ei innotuit hoc eſſe Deo acceptum, abſolutè vovit, antequam ab Angelo annuntiaretur.* Ejuſdem opinionis eſt in 4. ſent. diſt. 30. quæſt. 2. art. 1. in corp. *Virginitas autem quamvis in ſe optima, tamen pro tempore illo, ei Matrimonium præferebatur, propter expectationem benedicti ſeminis per viam generationis venturi, & ideo Beata Virgo vovit virginitatem, tamquam optimum, & ſibi acceptiſſimum, non tamen ſimpliciter, ſed ſub conditione honeſtiſſima, hac ſcilicet, niſi Deus aliter ordinarit: nec iſtam conditionem appoſuit, ut dubitaret, an vellet Virgo permanere, ſed an deberet. Et hoc eſt, quod Auguſtinus in lit. dicit, quod propoſuit, ſe permanſuram Virginem, niſi Deus aliter ordinarit.* Hoc ſuppoſito, dicere debemus ſecundùm ejus doctrinam, Beatiſſimam Virginem ante Matrimonium feciſſe votum caſtitatis, ſed ſolùm conditionatum; & quamvis doctrinas magis reſtringit D.Thomæ ſententia, ex ipſis tamen efficaciter concluditur noſtra reſolutio.

35 Dicendum eſt igitur Ven. Apparitii contractum cum propoſito, & animo factum ſervandi caſtitatem (*ſi poſſibile foret*) fuiſſe verum, & validum Matrimonium. Prima ratio eſt, quæ deducitur ex D. Thoma, jam ſuppoſita, obſervando ſimilitudinem, & conformitatem terminorum. *Si Deo placeret: ſi poſſibile foret*; ubi videtur, quod ſicuti votum caſtitatis emiſſum à Beatiſſima Virgine fuit conditionatum, ſic pariter ſub conditione fuit factum propoſitum Ven. Apparitii; hoc ſuppoſito ita convincitur intentum. Contractus conjugalis, cui antecedit votum caſtitatis conditionatum, eſt verum Matrimonium; ergo & contractus cui præcedit ſimplex propoſitum ſervandi puritatem, eſt contractus, in quo ſalvatur veritas Matrimonii. Concluditur antecedens ex doctrina D. Thomæ, qui defendit, ut diximus, Beatiſſimam Virginem emiſiſſe votum conditionatum caſtitatis, antecedenter ad ſponſalia, & quod inter Virginem, & D. Joſeph, fuit verum Matrimonium. Conſequentia evidenter infertur; etenim, cuinam fini, aut bono Matrimonii opponitur propoſitum conditionatum ſervandi caſtitatem, quando votum ſic conditionatum ulli fini, aut bono Matrimonii contrariatur? Aut alio modo: votum conditionatum caſtitatis obli-

gat

gat conditionatè ad non petendum debitum conjugale ab altero Conjuge; Sicuti votum abſolutum, & quamvis relinquat facultatem ſolvendi debitum, impedit tamen libertatem ad petendam talis debiti ſolutionem. Propoſitum ſimplex obſervandi caſtitatem, ſive ſit abſolutum, ſive conditionatum, ad nihil obligat in conſcientia, quia cùm tali propoſito emiſſo, ne quidem tollitur libertas petendi debitum; Igitur ſi votum conditionatum caſtitatis non obſtat validitati Matrimonii, à fortiori idem dicendum eſt de propoſito conditionato.

36 Attamen idem Sanctus Doctor defendit etiam fuiſſe verum Matrimonium, illud quod contraxerunt Sanctiſſimi illi Conſortes in 3. part. quæſt. 29. art. 2. in corp. *Quia uterque conſenſit in copulam conjugalem, non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione (ſi Deo placeret)* In cujus cauſali notandum eſt, Sanctum Doctorem ſolummodo ponere conſenſum conditionatum erga copulam carnalem, ut reddatur validum, & verum Matrimonium; Ven. Apparitius, in ſuo contractu, hunc eundem conſenſum habuit; ergo fuit verum Matrimonium. Minor, in qua eſt difficultas, convincitur ex facto: *Cum qua (ſi poſſibile foret) vivere liceret in caſto, & virginali connubio*; Et explicatur veritas hujus facti hoc modo. Ille qui proponit obſervare caſtitatem, aut ſe abſtinere ab uſu carnali, dummodò ſit ſibi poſſibile, aſſentitur copulæ, ſi non fuerit ſibi poſſibile ſervare puritatem; noſter Venerabilis propoſuit ſe abſtinere à copula, ſolùm in eventu, quod potuiſſet ſe abſtinere; Igitur præſtitit aſſenſum copulæ, in eventu, quòd à tali copula ſe abſtinere non potuiſſet; eò quia ſi cum conſenſu conditionato in ordine ad copulam carnalem ſalvatur veritas, & ſubſtantia Matrimonii, non intelligitur ob quam rationem negari poſſit validitas Matrimonii noſtri Venerabilis.

38 Dum enim tota difficultas, quæ opponi poteſt in ordine ad ſubſtantiam, & valorem hujus contractus conjugalis, reducitur ad defectum conſenſus in ordine ad copulam carnalem, qui defectus videtur opponi uni ex bonis Matrimonii; ſuadere oportet, in Matrimonio Ven. Apparitii adfuiſſe totum conſenſum, eſſentialiter requiſitum ad valorem talis contractus. In textu ſupra relato D. Thomæ diſtinguuntur duo conſenſus, unus ordinatus ad copulam conjugalem, qui conſiſtit in communicatione, & in amicabili ſocietate contrahentium; vivendo cum mutua, & reciproca benevolentia, & unione, & animi concordia; alter directus ad copulam carnalem, qui conſiſtit in uſu poteſtatis, & dominii, quod unuſquiſque contrahentium acquirit in corpus alterius: ait D. Thomas, quod in Matrimonio Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph ambo ſupradicti conſenſus adfuerunt; conſenſus directus ad copulam conjugalem, ſupponit quòd fuit abſolutus, & explicitus: conſenſus autem directus ad copulam carnalem, fuit conditionatus:

*Vterque conſenſit in copulam conjugalem, non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione, quòd Deo placeret.* Ad hoc igitur ut ſubſiſtat ſubſtantia Matrimonii, ſufficit, quòd conſenſus ad copulam carnalem ſit conditionatus. Hunc conſenſum conditionatum præſtitit noſter Venerabilis contrahendo Matrimonium, eò quia conditionatum fuit illius propoſitum ſe abſtinendi à copula carnali; eſt igitur etiam dicendum illius Matrimonium fuiſſe verum, & validum. Alio modo comprobatur noſtrum aſſumptum juxta mentem pariter Angelici Doctoris. Ex doctrina ejuſdem conſtat Beatiſſimam Virginem, antequam contraheret ſuum Matrimonium emiſiſſe votum conditionatum caſtitatis; & ſecundùm mentem ejuſdem S.Doctoris B. Virgo præſtitit conſenſum ad copulam carnalem, neceſſarium ad validitatem vinculi conjugalis; Igitur cum voto conditionato caſtitatis ſalvatur conſenſus ad copulam carnalem neceſſarius ad valorem Matrimonii; Igitur per propoſitum conditionatum ſervandi caſtitatem in ſtatu conjugali à noſtro Ven. Apparitio emiſſum, non remanſit excluſus conſenſus ad copulam carnalem, qui neceſſario requiritur ad validitatem, & legalitatem Matrimonii. Aut alio modo ad mentem pariter ejuſdem Sancti Doctoris. Illa circumſtantia, quæ in uno contrahentium relinquit liberum totum dominium, & poteſtatem petendi debitum, & in alio Conjuge ſervat facultatem ſolvendi tale debitum matrimoniale, non opponitur conſenſui in copulam carnalem, qui neceſſariò requiritur, & eſt de eſſentia Matrimonii; Propoſitum ſervandi caſtitatem [*ſi poſſibile foret*] relinquit liberum in uno Conjugatorum dominium, & poteſtatem petendi, & in illo qui cum tali propoſito contrahit, ſervat facultatem ſatisfaciendi, & reddendi; Igitur contrahere cum tali propoſito conditionato, non opponitur cum conſenſu ad copulam carnalem, requiſito ad ſubſtantiam, & valorem Matrimonii. Minor, ultraquam quod in textu D.Thomæ eſt certa, explicari poteſt hoc modo: Ille, qui proponit ſervare caſtitatem, ſolummodò in caſu quo ſit ei poſſibile, non vult illam ſervare in caſu, quo ei fuerit facta petitio ſolvendi debitum matrimoniale, ad quam ſolutionem mutuò ſeſe obligant Conjuges in contrahendo Matrimonium; quia in tali caſu non eſt poſſibile licitè ſe eximere à tali petita ſolutione debiti; Igitur propoſitum ſervandi caſtitatem, [*ſi poſſibile foret*] relinquit liberam facultatem in uno Conjugatorum petendi, & ſervat liberam facultatem, & poteſtatem reddendi, & ſatisfaciendi in illo, qui cum tali propoſito contrahit; quia ſicuti reſtat probatum, non eſt aſſignabilis ratio, cur ſimplex propoſitum conditionatum opponatur huic facultati, & dominio, ſi totum hoc optimè ſalvatur, & ſubſiſtere poteſt cum voto conditionato caſtitatis, ante Matrimonii celebrationem emiſſo.

38 Antequam hunc Textum Angelici Doctoris relinquamus, cujus Do-

Digitized by Google

Doctrina valde concludit in favorem facti Ven. Apparitii, nonnullam reflexionem requirunt aliqua verba, quæ adducit S. Doctor in corp. art. 3. part. quæſt. 28. art. 4. cum quibus eodem tempore oſtenditur falſitas, quæ reperitur in uno ex Argumentis in contrarium adductis: In hoc negatur, quod Maria Sanctiſſima emiſerit Votum caſtitatis, antequam contraheret Matrimonium; ſed ait, quòd ipſa ſemper habuit deſiderium ſe conſervandi in ſtatu Virginitatis: *Mater Dei non creditur antequam deſponſaretur Joſeph, abſolutè Virginitatem voviſſe; ſed licèt eam in deſiderio habuerit &c.* Ex quibus verbis ſic conficitur Argumentum: Aut deſiderium ſervandi caſtitatem opponitur, & repugnat cum conſenſu, quem requirit eſſentia Matrimonii, aut non; ſi primum, erit neceſſarium negare verum fuiſſe Matrimonium inter Beatiſſimam Virginem, & Divum Joſeph; quod eſt abſurdum; ſi ſecundum, non erunt duæ voluntates ad invicem oppoſitæ, una ſcilicet qua deſideratur ſervare caſtitatem, [*ſi poſſibile foret*] & altera, qua præſtatur aſſenſus ad copulam carnalem; & in eventu, quo non ſint oppoſitæ, hæc eſt illa, quæ requiritur in Matrimonio ad ſubſtantiam, & validitatem ejuſdem. Igitur non poteſt inferri contrarietas voluntatum in noſtro Venerabili ex quo contraxerit ſua Matrimonia cum propoſito ſervandi Caſtitatem (*ſi poſſibile foret*). Ultraquam quod, propoſitum ſervandi caſtitatem [*ſi poſſibile foret*] quale morale impedimentum ſuperaddit deſiderio ſervandi illam, quando Deo non diſpliceret Virginitas, quæ deſideratur? Igitur ſi deſiderium obſervandi caſtitatem [*ſi Deo placeret*] non impedit conſenſum, qui requiritur ad ſubſtantiam contractus, neque propoſitum ſervandi caſtitatem [*ſi poſſibile foret*] impedit conſenſum requiſitum ad veritatem Matrimonii.

39 Optimè poſſet defendi, & fundari validitas Matrimonii Venerabilis noſtræ Conſultationis robuſtiſſimis rationibus deſumptis à magno Parente Auguſtino in lib. de bono Conjugali c. 1. & 3. & in lib. 23. contra Fauſt. cap. 8. ubi defendit D. Joſeph à dictaminibus minus rectis, propugnans in illo cunctos veri Sponſi honores. Et in lib. 2. de conſenſu Euangeliſt., ubi manifeſtat veritatem Matrimonii inter Beatiſſimam Virginem, & D. Joſeph, tanto magis perfectum, quanto plus remotum à licentiis vinculi Matrimonialis. Sed omnes iſti Textus D. Auguſtini admittunt facilem explicationem, dicendo quòd in ipſis S. Doctor tantùm negat quòd ſpectet ad eſſentiam, & perfectionem Matrimonii, uſus dominii, & poteſtatis conjugalis, cujus intelligentia eſt literalis; quia in omnibus Textibus citatis declarat Nuptias eſſe magis perfectas, quando in ipſis nulla adeſt commixtio carnalis inter ſexus differentes, in qua commixtione conſiſtit uſus dominii, & poteſtatis. Eadem explicatio admittitur à D. Ambroſio in lib. de Inſtit. Virg. ad Euſebium cap. 5. & hæc ſunt ſua verba: *Non enim defloratio Virginita-*

*tis facit conjugium, ſed pactio conjugalis. Denique cùm jungitur Puella, conjugium eſt, non cùm virili admixtione cognoſcitur*: Ex quo tantùm deduci poteſt, ſubſtantiam Matrimonii non conſiſtere in commixtione carnali, ( quod eſt omnibus notum ) ſed in pacto conjugali, in quo etiam dubitatur an in eo includatur conſenſus mutuus, & reciprocus ad uſum matrimonialem; licèt remanere poſſit iſte conſenſus ſinè uſu prædicto.

40 In eodem ſenſu pariter intelligi poteſt Doctrina S. Petri Damiani in Epiſtola XI. ſcripta ad Clerum Faventiæ, cujus Argumentum eſt impugnare opinionem aſſerentem, Conjugatorum concubitum ſpectare ad eſſentiam Matrimonii, & ſinè ipſo concubitu non adeſſe Matrimonii denominationem. Concluſionem, quam ibi defendit ſub his verbis exprimit: *Nos autem è diverſo liberè profitemur, & concubitum poſſe ſinè nuptiis fieri, & ſinè concubitu rectè nuptias appellari*. Et facta exacta obſervatione contextus ſuæ doctrinæ, vix aliquid aliud poteſt concludi; quia eſtò tanquam poſſibiles admittat Nuptias virginales, quæ ſunt illæ, in quibus Sponſa cum Sponſo conjungitur cum pacto dotali, itaut antepoſito deſiderio cœleſtis Thalami, nullò modo interveniat carnalis acceſſus: Totum hoc tantummodò probat majorem Matrimonii perfectionem, quando in ipſo Conjuges ſe abſtinent à licentiis matrimonialibus, quæ eis permiſſæ ſunt, ſed non concludunt, neque noſtrum convincunt intentum; quia non dubitatur de validitate Matrimoniorum noſtri Ven. Apparitii, eo quia in eis defuit uſus, ſed quia videtur uniri non poſſe cum propoſito ſervandi caſtitatem conſenſus implicitus ad copulam, qui requiritur ad valorem, & ſubſiſtentiam Matrimonii. Neque ex hoc quòd S. Petrus Damianus eas appellet nuptias virginales, ſuadet, ex hoc titulo excludere voluiſſe omnem conſenſum ad uſum ipſius Matrimonii; Quoniam concedendò D. Thomas in 3. part. quæſt. 29. art. 1. ad 1. ( ſicuti jam dictum eſt, ( conſenſum implicitum, & conditionatum in Beatiſſima Virgine; defendit pariter hujuſmodi conſenſum, nullatenus præjudicaſſe illius virginali puritati. *Confidens de divino auxilio, quòd numquam ad carnalem copulam deveniret: Hoc tamen divino commiſit arbitrio; unde in nullo detrimentum paſſa eſt virginitas*. Igitur eſtò nuptiæ dicantur virginales, in ipſis concurrere debet conſenſus ſaltem implicitus, & conditionatus, quem conſenſum admiſit D. Thomas in nuptiis puriſſimis Beatiſſimæ Virginis.

41 Si ( quemadmodum nonnulli opinati ſunt ) ex his authoritatibus bene probaretur, D. Auguſtinum, D. Ambroſium, & D. Petrum Damianum excluſiſſe omnem conſenſum ad copulam carnalem ab eſſentia Matrimonii, cum hoc tantùm comprobata remanerent Matrimonia Ven. Apparitii; attamen quia non intendimus aliquam ex difficultatibus

no-

Digitized by Google

noſtræ Conſultationis omittere, neque ita facilè credimus hanc fuiſſe mentem D. Auguſtini aliorumque Sanctorum Patrum, cùm D. Thomas qui ita fuit circumſpectus in uniformando ſuam opinionem cum illa omnium aliorum; fideliſſimus Diſcipulus D. Auguſtini, clarè defendat, & ſentiat, (ſicuti ſupra diximus) Matrimonium magis purum, quale fuit illud Beatiſſimæ Virginis, & D. Joſeph, non fuiſſe ſinè conſenſu, ſaltèm implicito, & conditionato ad copulam carnalem: *Uterque conſenſit in copulam conjugalem, non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione, quòd Deo placeret.*

42 Locus in quo Sanctus Doctor ex profeſſo tractavit de conſenſu ad copulam carnalem neceſſariò requiſito ad valorem Matrimonii, eſt in 4. ſent. diſt. 28. q. 1. art. 4. ubi quærit. *Utrum conſenſus, qui facit Matrimonium, ſit conſenſus in carnalem copulam?* Ut magis promptam illius doctrinam producere valeamus, neceſſe eſt adducere reſponſionem, quam ipſemet Sanctus Doctor affert in corp. art. quia nullum adeſt verbum, quod ad noſtrum non conducat intentum. *Reſpondeo dicendum: quòd conſenſus, qui Matrimonium facit, eſt conſenſus in Matrimonium; quia effectus proprius voluntatis eſt ipſum volitum; unde ſicuti ſe habet carnalis copula ad Matrimonium, ita conſenſus, qui Matrimonium cauſat, eſt in carnalem copulam. Matrimonium autem, ut ſupra dictum eſt, non eſt eſſentialiter ipſa conjunctio carnalis, ſed quædam aſſociatio Viri, & Uxoris in ordine ad carnalem copulam, & alia, quæ ex conſequenti ad Virum, & Uxorem, pertinent, ſecundùm quod eis datur poteſtas in invicem, reſpectu carnalis copulæ: & hæc aſſociatio, conjugalis copula dicitur, unde patet, quòd bene dixerunt illi, qui dixerunt, quòd conſentire in Matrimonium, eſt conſentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè; Non enim debet intelligi, niſi ſicuti implicitè continetur effectus in ſua cauſa, quia poteſtas carnalis copulæ, in qua conſentitur, eſt cauſa carnalis copulæ; Sicut poteſtas utendi re ſua, eſt cauſa uſus.* Ex hoc infertur, quod eſt expreſſa doctrina Divi Thomæ, quod conſenſus implicitus in carnalem commixtionem, attinet ad eſſentiam Matrimonii; efformando ex ipſiſſimis verbis Sancti Doctoris hunc Diſcurſum: Conſenſus, qui Matrimonium facit, eſt conſenſus in idem Matrimonium; Conſentire in Matrimonium, eſt conſentire, (eſtò non explicitè) implicitè in copulam carnalem; Igitur conſenſus, qui Matrmonium cauſat, quique eſt ad ejus veritatem, & validitatem neceſſarius, eſt conſenſus implicitus ad copulam carnalem.

43 Nunc videamus, ſi illud propoſitum ſervandi caſtitatem, *ſi poſſibile foret*, cum quo contraxit ſua Matrimonia Venerabilis Apparitius, opponatur cum hoc conſenſu implicito, eique repugnet: ſequendo explicationem ejuſdem Sancti. Propoſitum, quod ſolùm reſtrin-

ſtringitur, & reducitur ad abſtinendum ſe ab aliqua re, quæ non eſt de eſſentia, & de neceſſitate ad valorem Matrimonii, non opponitur conſenſui implicito, qui eſt cauſa Matrimonii; Propoſitum ſervandi caſtitatem, eſt ſolum propoſitum ſe abſtinendi à copula carnali, quæ juxta mentem D. Thomæ non eſt eſſentialiter Matrimonium: *Matrimonium autem, ut ſupra dictum eſt non eſt eſſentialiter ipſa conjunctio carnalis*, igitur propoſitum ſervandi caſtitatem non opponitur conſenſui implicito, qui cauſat Matrimonium. Proſequamur ſecundùm explicationem D. Thomæ. Matrimonii eſſentia conſiſtit in ſocietate, & conſortio inter Virum, & Uxorem in ordine ad copulam carnalem: *ſed* (ait) *quædam aſſociatio Viri, & Uxoris in ordine ad carnalem copulam*. Propoſitum ſervandi caſtitatem, *ſi poſſibile foret*, clarè videtur, quod non repugnat, neque opponitur ſocietati, & conſortio contrahentium, neque ordini ad copulam carnalem, qui ordo, ſeu conſenſus implicitus requiritur ad valorem Matrimonii; quia talis ordo, juxta D. Thomam, nil aliud eſt, quàm poteſtas, & dominium, quod habet unuſquiſq; Conjugum utendi pro ſuo libito corpore alterius Conjugis. *Poteſtas carnalis copulæ, in quam conſentitur*. Igitur ſi propoſitum ſervandi caſtitatem, *ſi poſſibile foret*, non opponitur, neque repugnat huic dominio, ſeu poteſtati, neque repugnabit ſocietati, ſeu commercio, inter virum, & uxorem in ordine ad copulam carnalem; neque aſſenſui implicito in ordine ad eamdem copulam, quem includit, hæc ſocietas. Quòd autem propoſitum ſervandi caſtitatem, *ſi poſſibile foret*, non opponatur, neque repugnet poteſtati, neque dominio, quod mutuò, in ſe invicem acquirunt contrahentes, jam probatum eſt, & ulteriùs hoc modo explicatur. In duobus caſibus eſt impoſſibile, quòd vir ſe abſtineat ab uſu copulæ: unus eſt quando Sponſa illius petit debiti ſolutionem; & alius, quando Sponſus ipſe eſt in periculo incontinentiæ. In primo caſu Sponſa utitur jure ſuo, & dominio, petendo debitum. In ſecundo caſu Maritus propriam exercet poteſtatem ſibi conceſſam per contractum matrimonialem. Igitur ille qui proponit ſervare caſtitatem, *ſi ei poſſibile erit*, relinquit in ſuo dominio conſortem, & ſibi ipſi reſervat libertatem ſibi conceſſam; Igitur cum tali propoſito remanet ſalvum dominium, & poteſtas, in quibus D. Thomas ponit eſſentiam Matrimonii, eſtò ſecundùm opinionem ejuſdem Sancti Doctoris, in ipſo remaneat incluſus conſenſus implicitus ad copulam carnalem, qualis copula eſt talis dominii uſus.

44 Ad veritatem, & efficaciam hujus probationis ſuperabundabat eam eſſe literalem D.Thomæ; hoc tamen non obſtante Cardinalis Turrequemada tom. 3. ſuper Decret. caſus 27. quæſt. 2. magis illam illuſtrabit; cujus authoritas digna cenſetur, ut hìc afferatur: hæc enim ſunt verba præciſa ejuſdem: *Ad contrahendum Matrimonium non eſt* ne-

*neceſſarius conſenſus explicitè in id, quod non eſt de eſſentia Matrimonii; Sed carnalis copula non eſt de eſſentia Matrimonii; Patet, quia poſt quàm aliqui Matrimonium contraxerint, etiam ſi poſtea perpetuò continerent, inter eos verum Matrimonium erit, ſicuti patet in Matrimonio inter Beatam Virginem, & Joſeph. Contrahendo ergo Matrimonium, non eſt neceſſarius conſenſus in carnalem copulam explicitè, ſed bene implicitè, ut dicit S. Thomas, & Richardus: quia in conjugali ſocietate, qua nominatur ipſum Matrimonium, implicatur mutua poteſtas communicationis, non tantùm bonorum, ſed etiam corporum, cum utrique detur poteſtas in invicem, reſpectu carnalis copulæ; ſed hoc non eſt conſentire in carnalem copulam explicitè, aut etiam implicitè abſolutè, ſed ſub conditione, ſi ſcilicet Conjux requireret, & debitum exigeret, ſivè uti vellent conceſſa poteſtate, ut dicit Magiſter Richardus.* In uno verbo D. Thomas nobis explicavit veram intelligentiam, & confirmavit per ſuam Doctrinam noſtrum intentum, eamque illuſtravit authoritate Magni Richardi à S. Victore. Dicit enim non eſſe neceſſarium ad veritatem Matrimonii, conſenſum explicitum ad copulam carnalem, quia hæc non eſt de ejus eſſentia; neque requiritur conſenſus implicitus abſolutus: ſed ſolùm implicitus conditionatus, videlicet, ſi Sponſa debitum petat; Igitur ille qui contraheret cum propoſito ſervandi caſtitatem ſub conditione, *ſi poſſibile foret*, verè & realiter legitimum Matrimonium contrahit; quia cùm non ſit poſſibile obſervare caſtitatem, quando Sponſa debitum petit, conſenſit implicitè in non ſe abſtinendo ab uſu conjugali, ſub conditione, quòd Sponſa, utendo ſua poteſtate, & jure, velit petere. Neque intelligendum eſt, quòd quia hujuſmodi conſenſus implicitus Ven. Apparitii ad uſum conjugalem fuit ſolùm conditionatus, quòd ipſe abſolutè non contraheret Matrimonium, quia non reperitur principium magis certum in toto Jure, quòd quicumque vult aliquem contractum ſicuti eſt in ſe, abſolutè contrahit; Cùm igitur contractus matrimonialis non requirat conſenſum abſolutum ad uſum copulæ, ſed ſolùm conditionatum, *ideſt ſi Conjux requireret*; hinc infertur, quod eſtò conſenſus noſtri Ven. Apparitii fuerit tantùm conditionatus ad uſum matrimonialem, nihilominus contractus ad Matrimonia fuit abſolutus.

45 Adductis igitur cum D. Thoma efficacioribus probationibus, quibus oſtenditur nihil defuiſſe Matrimoniis Ven. Apparitii, ex his quæ ſunt de ſubſtantia validi, & veri Matrimonii, ſolùm ſuperaddi poſſunt nonnullæ aliæ rationes, quæ inſervire poſſunt ad majorem explicationem totius, quòd reſtat ſufficienter probatum. Et prima ipſarum ſit. Propoſitum quod ſolùm requirit caſtitas, quando Matrimonium illud permittit, reddere non poteſt Matrimonium invalidum; Tale fuit propoſitum Ven. Apparitii; igitur nil reperitur in illo quod répugnet, & op-

po-

ponatur valori, & veritati Matrimonii: Minor probatur ſic: Matrimonium permittit, quòd Conjuges ſe abſtineant ab uſu copulæ; unà ſemel quòd poſſint ſe abſtinere; & ulteriùs etiam Apoſtolus ad Corinth. ep. 1. cap. 7. hoc idem conſulit, tamquam laudabile: *bonum eſt homini mulierem non tangere*. Propoſitum noſtri Venerabilis ſolùm fuit ſe abſtinendi *ſi ei poſſibile foret*; Igitur voluit caſtitatem ſervare, in quantum ipſum Matrimonium permittit. Unde ergo probari poteſt, quòd redderet invalidum Matrimonium voluntas, quæ in nullo opponitur obligationibus ſtatus matrimonialis? Ulteriùs: In nullo ſtatu eſt neceſſariò intentare abſolutè finem, ad cujus executionem non remanet abſolutè obligatus ille, qui talem finem intentat; quia intentio, eſt voluntas exequendi, aut aſſequendi finem, & habet importare quādam obligationem ad illum procurandum; ad ſimilitudinem promiſſionis, & ſpecialiter in ſolemnitatibus contractuum. In Matrimonio, nullus Conjugum remanet abſolutè obligatus ad uſum copulæ, niſi ſolùm in caſu, quo alter eorum petat; igitur ad valorem, & veritatem Matrimonii non neceſſario requiritur abſoluta intentio uſus.

46 Ut relinquamus, abſque ulla oppoſitione bene fundatam reſolutionem noſtri intentus, remanent ſolum ſolvenda argumenta in contrarium adducta. Ad primum reſpondetur, quòd totum id, quod D. Auguſtinus affirmat de Sponſa, etiam de Sponſo intelligi debet, & ſicuti illa debet in Matrimonio quærere ſucceſſionem in fœcunditate Matris, ita Vir quærere debet unum ex bonis Matrimonii; quòd eſt proles, in ordine ad quam dicitur Pater; ſed in verbis citatis non debet intelligi D. Auguſtinus quòd ipſe Sanctus Doctor loquatur de intentione expreſſa, cùm qua eſt contrahendum Matrimonium, ſed ſolumodò de animo qui debet imperare uſui illius, ad hoc ut ſit honeſtum; hoc eſt dicere, quòd in uſu matrimoniali, Conjuges non inducantur ad talem uſum, allecti à carnali concupiſcentia, ſed ob finem propagationis naturæ. Et hanc fuiſſe mentem D. Auguſtini, clarè deducitur ex verbis, quæ immediatè antecedunt ea, quæ proponuntur pro argumento lib. 19. contra Fauſtum cap. 26. *Verumtamen à vobis ex veſtra erroris ſacrilega vanitate quæro: cur diſpliceat dimittere uxorem, quam non ad Matrimonii finem, ſed ad conſcientiæ crimen habendam eſſe cenſetis?* In quo loco clarè loquitur de concupiſcentia, quæ eſt delictum, & quam ſolùm quærebant Hæretici in concubitu ſuorum Matrimoniorum. Hæc vituperat, & redarguit Sanctus, cùm ſint peccaminoſa, & concludit: *Matrimonium, quippè ex hoc appellatum eſt, quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quàm, ut Mater fiat*. Aſſignavit finem, à quo copula cohoneſtatur, non jam intentionem habendi illam; arguebat id, quod erat peccatum in Matrimoniis illorum, & concluſit in animo, & in intentione qua copulæ uſus redditur in illis irreprehenſibilis.

47 Vi-

47 Vituperabat enim illam vitioſam delectationem, de qua quærit D. Thomas in 4. diſt. 32. quæſt. 1. art. 3. *Vtrum aliquis peccet mortaliter, cognoſcens uxorem, non intendens aliquid Matrimonii bonum, ſed ſolam delectationem?* Cui reſpondet iſtisverbis: *Dicendum, quòd ſi delectatio quæratur ultra honeſtatem Matrimonii; ut ſcilicet aliquis in Conjugem non attendat quòd conjux eſt, ſed ſolùm quòd Mulier eſt; idem paratus facere cum ea, ſi non eſſet Conjux, eſt peccatum mortale, & talis dicitur ardentior amator Vxoris, quia ſcilicet ardor ille extra bona Matrimonii effertur. Si autem quæratur delectatio intra limites Matrimonii, ut ſcilicet talis delectatio in alia non quæreretur, quàm in Conjuge, ſic eſt veniale peccatum.* Videtur igitur, quòd in uſu matrimoniali quærebant primas delectationes Hæretici, contra quos exclamabat D. Auguſtinus, & hujuſmodi delectationes dictæ fuerunt à Divo Thoma ibi ad 1. Delectationes meretriceę. *Tunc voluptates meretriceas, Vir in Vxore quærit, quando nil aliud in ea attendit, quàm quod in meretrice attenderet.* Hoc tamen non obſtante, quando delectationes fuiſſent etiam ſecundæ ſpeciei, quæ ſunt peccaminoſæ tantùm venialiter, juſtè S. Auguſtinus eas reprehendebat; commonefaciens eos, ut in uſu matrimoniali attenderent ad bonum ſucceſſionis, & non ad carnalem voluptatem. Et non ob aliam rationem ait S. Auguſtinus quòd ideo nubit Mulier, ut Mater fiat, ſicuti & Vir, ut Pater evadat. Nec intelligi poteſt, quomodo contradicere poſſit huic doctrinæ, ille qui Matrimonium contrahit cum propoſito ſervandi caſtitatem; quia qui deſiderat ſe abſtinere, *quantum ei poſſibile ſit*, ab actu, valde diſtat à quærendo in uſu matrimoniali ſenſualem delectationem.

48 Ad ſecundum Argumentum reſpondetur concedendo quòd omne Matrimonium verum, eſt perfectum; diſtinguendæ tamen ſunt duæ perfectiones, ſicuti eas diſtinguit Divus Thomas in 3. part. quæſt. 29. art. 2. in corp. *Dicendum quòd Matrimonium, ſive Conjugium, dicitur verum ex hoc, quòd ſuam perfectionem attigit; Duplex eſt autem rei perfectio, prima, & ſecunda: prima quidem rei perfectio conſiſtit in ipſa forma, ex qua ſpeciem ſortitur; ſecunda verò perfectio conſiſtit in operatione rei, per quam res aliqualiter ſuum finem attingit. Forma autem Matrimonii conſiſtit in quadam indiviſibili conjunctione animorum, per quam unus Conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur: Finis autem Matrimonii eſt proles generanda, & educanda, ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem, ad ſecundum per alia opera Viri, & Vxoris, quibus invicem obſequuntur ad prolem nutriendam.* Matrimoniis Ven. Apparitii defuit ſecunda perfectio, quia ſe abſtinuit ab uſu Matrimonii, ob quam cauſam prolem non habuit, aut ſucceſſionem, quæ eſt finis copulæ carnalis; ſuis autem contractibus non defuit primaria perfectio formæ conſtitutivæ Matri-

monii; quia adfuit in ipſis conjugalis concubitus, in indiviſibili animorum unione: Cùm hac ſola perfectione, ſalvatur à Divo Thoma valor, & veritas Matrimonii Beatiſſimæ Virginis cum D. Joſeph. Sic igitur *dicendum eſt, quòd quantum ad primam perfectionem omninò verum fuit Matrimonium Virginis Deiparæ, & Joſeph.* Licet in hoc caſtiſſimo Matrimonio, ſolus defectus, ſeu uſûs deficientia, obſtare potuit operationi, quæ conſummat idem Matrimonium; non autem proli, quæ fuit fructus benedictus caſtitatis, & virginalis puritatis. *Quantum verò ad ſecundam perfectionem quæ eſt per actum Matrimonii, ſi hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud Matrimonium conſummatum; Habuit tamen illud Matrimonium etiam ſecundam perfectionem, quantum ad prolis educationem.* Ex quo deducitur in Matrimonio Ven. Apparitii adfuiſſe perfectionem formæ, quæ conſtituit eſſentialiter Matrimonium; & ſolùm defuiſſe in operatione, quædam perfectio ſecundaria, quæ neque exigitur ad Matrimonii valorem, neque eſt de illius eſſentia. Eamdem doctrinam adducit D. Thomas in 4. art. quæſt. 2. in 4. ſentent. diſt. 27. Ubi diſtinguit in Matrimonio ad conformitatem illarum perfectionum, duas etiam integritates. *Dicendum, quòd duplex eſt integritas, una quæ attenditur ſecundùm perfectionem primam, quæ conſiſtit in ipſo eſſe rei; alia quæ attenditur ſecundùm perfectionem ſecundam, quæ conſiſtit in operatione. Quia ergo carnalis commixtio, eſt quædam operatio, ſive uſus Matrimonii, per quod facultas ad hoc datur; ideo erit carnalis commixtio de ſecunda integritate Matrimonii, & non de prima.* Qualis igitur integritas aut perfectio eſſentialis defuit in Matrimonio Ven. Apparitii; quando neque illorum conſummatio, neque proles, ſunt perfectiones conſtituentes eſſentiam Matrimonii.

49 Ad tertiam objectionem, quæ eſt Argumentum D. Thomæ in 4. ſent. diſt. 25. art. 4. ad 1. Adducit idem Sanctus Doctor ſolutionem per iſta verba: *Dicendum, quòd illa conditio explicita, non ſolùm actui, ſed poteſtati contrariatur carnalis copulæ; & ideo eſt contraria Matrimonio.* Ille qui contraheret Matrimonium, hoc pacto, quòd Conjux non ſit uſurus Matrimonio, privaret illum ea poteſtate, quæ ad talem uſum requiritur. Non ita ſe geſſit Ven. Apparitius, quia quando in illius propoſito adfuiſſet aliqua contrarietas, aut implicantia ad copulam carnalem, (quod non admittimus) non potuit tamen talis contradictio adeſſe in ordine ad facultatem, & dominium, quod confert vinculum conjugale, ad hoc ut ſecundùm voluntatem, à ratione regulatam poſſint Conjuges mutuò, & ad invicem uti tali dominio, & libertate, quam habent ad invicem; quoniam, ſicuti jam diximus, qui proponit obſervare caſtitatem in Matrimonio (quantum illi poſſibile ſit) non proponit ſe abſtinere ab uſu Matrimonii, ſi Sponſa ipſum requi-

quirit pro debiti ſatisfactione. Igitur tale propoſitum in nullo opponitur poteſtati, & dominio, quod habet Sponſa ſupra corpus ſui Sponſi; neque hic adeſt ulla ex illis contrarietatibus, quæ invalidant Matrimonii contractum: Quia ex parte Venerabilis ſolùm fuit ſimplex ceſſatio actus conjugalis, abſque eo quod interveniret aliqua turpis conditio, aut ex illis quæ referunt Matrimonium ad finem oppoſitum, ſicuti eſſet impedire propagationem, procurando ſterilitatem, aut abortum &c. quæ ſunt illæ contrarietates, quæ in altera objectione reputantur contrariæ, & oppoſitæ Matrimonio, & ſubſtantiæ ejuſdem.

50 Ad quartum dicendum eſt, propoſitum ſervandi caſtitatem, *ſi poſſibile foret*, non opponi, mutuæ corporum traditioni, quia nullum affert præjudicium dominio unius Conſortis, quòd alter velit ſe abſtinere, ſi ille minimè petit. Hanc mutuam corporum traditionem invenit D. Thomas in Deſponſoriis Beatiſſimæ Virginis cum D. Joſeph, abſque eo quòd obſtaret propoſitum, aut votum conditionatum, quod ipſe admittit in eadem Beatiſſima Virgine, ſervandi, *ſi Deo non diſpliceret*, ſuam virginitatem in thalamo, quale votum conditionatum fuit factum ab ipſa, antequam eſſet deſponſata. Quod ex parte D. Joſephi aliquo modo fuerit talis poteſtas, ſeu dominium in ordine ad uſum matrimonialem, clarè dixit Magnus Cancellarius Pariſienſis in 4. part. oper. ſer. de Caſt. ſub iſtis verb. *Joſeph dictus fuit Pater per curam, & gubernationem, & quia Corpus Dominæ Noſtræ aliqualiter ſuum erat per Matrimonii translationem, ut uteretur eo, ſecundùm Sancti Spiritus voluntatem.* Notate, quòd *Votum Dominæ Noſtræ non impedivit; nam erat factum ab ea de ſervando ſemper ſapientem Dei ordinationem.* Reſponſio majorem non requirit extenſionem, quam illam, quâ ad Ven. noſtræ Conſultationis reducantur verba ſupra relata. Corpus Ven. Apparitii aliqualiter erat ſuarum Sponſarum per Matrimonii translationem, ut eo uti poſſent. Et notandum eſt, quod illius propoſitum non impedivit dictum dominium; quia ipſe ſemper in animo habuit manere in ſtatu virginitatis, ſi ſic Deus ordinaſſet, hoc eſt, *ſi poſſibile foret.*

51 Confirmatio, (licèt diximus eſſe Argumentum Gratiani) etiam ei ſe oppoſuit D. Thom. in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. ſub his terminis: *Omnia quæ ſunt in matrimonio, inter Virum, & Uxorem, poſſunt eſſe licitè inter fratrem, & ſororem, excepta carnali copula; ſed non poteſt licitè inter eos fieri conſenſus matrimonialis; ergo conſenſus matrimonialis, eſt conſenſus in carnalem copulam.* Magis hujus Argumenti ſecura ſolutio, eſt illa, quam adducit idem S. Doctor: *Dicendum, quod inter fratrem, & ſororem non poteſt eſſe poteſtas in invicem ad carnalem*

*copulam, ſicut nec licitè carnalis copula; & ideò ratio non ſequitur*. Eſt nullum matrimonium inter fratrem, & ſororem, non tantùm quia deeſt in illis conſenſus ad carnalem copulam; ſed etiam quia inter ipſos non poteſt dari, nec acquiri per matrimonium ulla poteſtas ad concubitum. Et cum hujuſmodi poteſtas, (ſicuti vidimus in D. Thoma) includat conſenſum implicitum conditionatum ad copulam, nullum eſt matrimonium illud, in quo repugnante poteſtate ad uſum, repugnat pariter, conſeſus implicitus conditionatus ad talem uſum, quem conſenſum requirit eſſentia, & valor Matrimonii. Tandem, in Contractu inter fratres, & ſorores, nec illa, quæ diceretur ſponſa haberet dominium, aut jus petendi, neque in altero conſorte ineſſet poteſtas ſatisfaciendi. In Matrimoniis Ven. Apparitii remanebat liberum, & indemne dominium, & facultas ſuarum Sponſarum, & ipſe remanſit cum plena facultate ad ſolvendum debitum matrimoniale; & adhuc cum libertate petendi; idcirco in ejus Matrimoniis remanſit ſalvus conſenſus implicitus conditionatus ad uſum copulæ; quia puritas ſui propoſiti in nullo ſe oppoſuit mutuæ poteſtati quam contrahentes acquirunt.

52 Ad quintum reſpondetur, Argumentum nec leviter ſuadere deluſas, aut deceptas fuiſſe Sponſas, quibus hujus Viri juſti animus, & ſui propoſiti executio in nullo præjudicabat; quia ille, [ſcilicet animus] jus ſuum conſervabat, & hæc propoſiti executio erat honeſta praxis dominii quod habebat, unde poterat ſe abſtinere quoties non erat contra ſuæ Conſortis voluntatem. Neque Matrimonium aliquem ex contrahentibus obligat ad petendum uſum ipſius, ſed ex juſtitia obligat ad ſolutionem debiti, quando ab altero Conſorte exigitur. Ubi ergo deceptio? Quando ipſæ Sponſæ ſcire debebant Venerabilem eſſe liberum à non petendo, & quando in ipſo non erat voluntas oppoſita dominio earum, dùm tantummodo ſe abſtinere voluit *ſi foret ſibi poſſibile*; & caſu quo ipſæ Sponſæ voluntatem huic propoſito contrariam oſtendiſſent, jam tunc non erat ei poſſibile ſe abſtinere.

53 Ad ultimum Argumentum jam fuit reſponſum, quod in illis repetitis Matrimoniis adfuit vera traditio corporum, & reciprocum dominium, quod acquiritur, per translationem vinculi, aut contractus matrimonialis, & talis reciproca traditio ordinatà, & directa fuit ad finem generationis quin obſtet, quòd propoſitum, ſervandi caſtitatem ſit defectus conſenſus ad copulam carnalem, per quam pervenitur ad finem ſucceſſionis; quia ſolùm fuit defectus conſenſus expliciti, qui quidem non eſt de eſſentia Matrimonii; ſed immo potiùs cum illo ſubſiſtit conſenſus implicitus conditionatus, quem contractus Matrimonialis pro ſua ſubſiſtentia, valore, & veritate expoſtulat. Iſtis duobus Matrimoniis defuit *ſecunda perfectio*, illa videlicet operationis, aut uſus;

ha-

habuerunt tamen *primam*, & eſſentialem perfectionem ſui eſſe in materia, & forma ſicuti cum D. Thoma diximus.

Ita ego ſentio ſalvo ſemper &c.

In Collegio Sancti Caroli PP. Clericorum Regularium Minorum Salmanticæ die 25. Julii 1720.

*Magiſter Emmanuel Generelo Spinola.*

*Ego infraſcriptus Notarius Apoſtolicus iſtius Almæ Univerſitatis Salmantinæ Secretarius, fidem facio, & teſtimonium veriditum omnibus præſentes litteras inſpecturis perhibeo, quatenus reſolutio dicta Univerſitatis hìc appoſita à num. tertio, quæ incipit:* Regi Catholico noſtro obtemperantes, &c. *ſuper cauſam Beati Fr. Sebaſtiani de Apparicio Ordinis Seraphici fideliter concordat cum ſuo originali, prout habetur in Regiſtro ejuſdem Univerſitatis, ad quod me remitto.*

*In eadem forma quæ de jure requiritur fidem facio, & teſtimonium perhibeo, quod tres Reverendiſ. PP., nempe Reverendiſs. P. Fr. Petrus Manſo Auguſtinianus, Reverendiſs. P. Fr. Michael de Herce Benedictinus, & Reverendiſs. P. Emmanuel Generelo & Spinola Ordinis Clericorum Minorum in hac Alma Univerſitate Magiſtri Sac. Theologiæ, quorum ſuffragia hìc apponuntur, fuerunt ex deputatis ab eadem Univerſitate in Clauſtro pleno, ad maturè, & ſanè inveſtigandam quæſtionem de primis, & ſecundis nuptiis contractis à B. Fr. Sebaſtiano de Apparicio Ordinis Seraphici (dum liber eſſet) prout exigebat Catholici Regis decretum ad hanc Univerſitatem directum.*

*Iterumque fidem facio, & teſtimonium perhibeo quòd eorum ſuffragia originalia vidi propria eorum manu firmata, quorum ſtemmata ſatis cognoſco, & cognovi, quibus ad literam concordant, quæ in hoc codice impreſſa reperiuntur, quæ manent in meo officio, ad quæ me remitto; & de ſuffragiis Reverendiſs. D. Mag. Fr. Petri Manſo Auguſtiniani, Reverendiſs. P. Magiſtr. Fr. Michaelis de Herce Benedictini aliam copiam circa hoc idem punctum jam dedi mea manu ſignatam, & firmatam*
» *quam non dedi de ſuffragio Reverendiſſimi P. Mag. Emmanuelis Ge-*
» *nerelo & Spinola Ordinis Clericorum Minorum, quia pro tunc ori-*
» *ginale ad manus non habui, quod nunc jam ad me pervenit.*

*Similiter teſtificor, quòd tres Reverendiſſimi PP. ſupradicti ſunt Doctores, & Cathedratici iſtius Univerſitatis, Reverendiſſimus D. Mag. Fr. Petrus Manſo Ordinis S. Auguſtini Calceati, Cathedraticus S. Thomæ; Reverendiſs. D. Mag. Fr. Michael de Herce Ordinis S. Benedicti, & ſui Collegii Abbas, Cathedraticus Veſpertinus Theologiæ; & Reve-*



Digitized by Google

*rendiſs. P. Mag. Emmanuel Generelo, & Spinola, Cathedraticus Sac. Scripturæ, & ſui Ordinis Provincialis, omnes authoritate, & gravitate magna in hac alma Univerſitate fulgentes. Ut ergo hìc contentis fides adhibeatur, tanquam ipſis originalibus à me viſis ad inſtantiam Seraphicæ Religionis, præſens exhibeo teſtimonium mea manu firmatum, & ſigno Univerſitatis munitum. Salmanticæ die 10. Januarii, anni 1722.*

Loco ✠ Sigilli.
*Deus veritas eſt.*

In teſtimonium ✝ veritatis
Didacus Garcia à Paredes Secretarius.

*Nos infraſcripti Notarii Apoſtolici, in hac Civitate Salmantina degentes, fidem facimus, & teſtimonium perhibemus quatenus ſtemma ſuprapoſitum, ſic ſubſcribens:* Didacus Garcia à Paredes Secretarius *eſt ejuſdem Didaci manu, & calamo exaratum; qui quidem Secretarius eſt iſtius Salmantinæ Univerſitatis fidelis, & legalis cujuſque fidei dignus, cui ſemper tam in ſcripto, quàm in voce, fuit exhibita integra fides, tam intrà, quàm extra judicium. Sic teſtificamur. Salmanticæ die 10. Januarii 1722.*

In teſtimonium ✝ veritatis
Antonius à Foncueva & Venero Not. Apoſtolicus.

In teſtimonium ✝ veritatis
D. Joannes Antonius à Moreno Not. Apoſtolicus.

In teſtimonium ✝ veritatis
Sebaſtianus Martinez à Nietto Notar. Apoſtolicus.

IN-

# INDEX

## RERUM NOTABILIUM

*Prior numerus paginam: poſterior marginalem numerum denotat.*

### A

ABiſag Sunamitis commendatur; quòd David frigidum calefecerit, quin ad libidinem provocaret. 4. 9.
Alexandri Tertii Pont. Max. reſponſio ſuper caſu mulieris, quæ poſt emiſſum juramentum de Matrimonio contrahendo religionis voto ſe adſtrinxit. 18. 36.
Antonius de Padua Novitium de luxuria tentatum tunica ſua liberum reddit. xxi. 23.
Apoſtoli ad Corinthios de continentia maritali doctrina proponitur, & explicatur. 45. 18. & ſeqq. 79. 43. & ſeqq.
Auxiliorum Divinæ Gratiæ theologica Protheoria. 96. 36.
Auxiliorum Dei moralis certitudinis ſigna. 85. 91.

### B

BOna Matrimonii, ſcilicet Fides, Pro les, & Sacramentum conſiderari poſſunt, & in ordine ad obligationem, & in ordine ad executionem; priori modo ſpectant ad eſſentiam Sacramenti, ſecus ſecundo modo. 21. 41.
Bona Matrimonii Virginalis. 94. 34.
Bonum principalis Matrimonii Sacramentum eſt. ix. 2.

### C

CAuſæ formalis, efficiens, & finalis Matrimonii. 27. 52. & ſeqq.
Conſenſus in copulam carnalem non eſt neceſſarius ad Matrimonium Chriſtianum. xiv. 12. 25. 48. & ſeqq.
Conſenſus in copulam carnalem multiplex, & quinam dici poſſit requiſitus ad ſubſtantiam Matrimonii? 15. 32.
Conſenſus implicitus in copulam conjugalem compatitur cum propoſito ſervandæ caſtitatis. 17. 35. 32. 61. 41. 13. 133. 43.
Contractus invalidus validari nequit per juramentum. 64. 9.

### D

DEbitum copulæ poſt Matrimonium ratum infra certum tempus negari poteſt. xxiv. 27.
Dominium directum, & proprietatis diſtinguitur à dominio utili, & indirecto. 29. 55.

Domi-

Digitized by Google

Dominium directum ſupra corpora, quod mutuò acquirunt in Matrimonio Conjuges, etiam præſcindendo à carnali conjunctione, ſuo non fraudatur effectu. 29. 55. & 56.

E

Effectus dominii directi, quod habent ad invicem in ſua corpora Conjuges. 30. 56.
Exempla nonnulla Matrimonii Virginalis. 99. 51. 47. 22.

F

Finis Matrimonii duplex, naturalis, & ſupernaturalis. 94. 34.
Forma, ac finis Matrimonii. 137. 48.

G

Gratiæ Divinæ ſpecialis eſt in rebus arduis aſſiſtentia. 96. 36.
Gratia inſpirante, & adjuvante Pyrauſtana Matrimonia fuiſſe peracta ipſo exitu perquàm felici perſpicuè manifeſtatur. 99. 55. 106. 86.

H

Heroici explicatio. 79. 70.
Heroicum duplex, Philoſophicum, & Chriſtianum. 80. 72.
Heroicum caſtitatis, & prudentiæ in Pyrauſta eluxit. 80. 74.
Heroicæ prudentiæ ſigna. 83. 82.
Heroes unde dicti. 92. 26.
Heroicum naturale caſtitatis conjugalis exemplo declaratur. 93. 29.
Heroicum ſupernaturale caſtitatis in conjugio ſervatæ. 94. 30.

I

Janſeniſmum, & Pelagianiſmum ſapiunt, qui gradum heroicæ virtutis in Pyrauſtanis Matrimoniis inficiantur. 102. 72.
Impotentia ad ſolutionem debiti conjugalis an invalidet Matrimonium. 18. 37.
Impotentia ad copulam duplex, libera & naturalis: Neutra opponitur ſubſtantiæ Matrimonii. 34. 62.
Iſaiæ de Meſſia teſtimonium Pyrauſtæ mirabili facto pulchre conveniens. XXVII. 33.

L

Liberalitas Pyrauſtæ. XXIII. 26.

M

Mariæ, & Joſeph Matrimonium verum ac legitimum fuit. 13. 28. 22. 43. 41. 8. 63. 5.
Idem à Sanctis PP. commendatur. x. 7.
Fidelibus conjugatis continentiæ mirabile exemplum. x. 8. 2. 7. 44. 15.
Matrimonium inſtitutum eſt in ſignum, officium, & remedium. XVII. 15.

Matri-

Digitized by Google

Matrimonii bona Fides, Proles, & Sacramentum: principalius Sacramentum eſt. IX. 2. & ſeqq.
Matrimonio quoad ſubſtantiam non obſtat votum virginitatis. 13. 28.
Matrimonii prima & eſſentialis perfectio conſiſtit in unione animorum cum obligatione mutuæ inter Conjuges fidei. 14. 29. 24. 47.
Matrimonium non requirit neceſſariò conſenſum in copulam carnalem. XIV. 12. 42. 10.
Matrimonium ut Sacramentum ſignificat unionem Dei cum anima, & Chriſti cum Eccleſia: utrumque perfectè ſignificat Matrimonium, etiam virginale. 37. 65.
Matrimonium virginale & licitum, & validum eſt. 20. 39.
Ejus præclara bona. 94. 34.
Matrimonialis, ideſt heroica virginitas duplicis Pyrauſtani Matrimonii intrinſecus finis. 102. 71. & ſeqq.
Matrimonium Pyrauſtæ. Vid. Pyrauſta.

N

Nuptiæ ſecundæ ex lege permittuntur. 76. 55. 22. 20.
Nuptiæ cœlibes commendantur. 45. 18.

O

Obligatio in Conjugibus ad debitum copulæ eſt tantùm habitualis. XXIII. 26.
Operis, cujus intentio bona eſt, executio optima. 48. 27.
Operis, cujus executio glorioſa eſt, propoſitum nequit eſſe defectuoſum. 117. 12.
Origenis lapſus. 10. 20.

P

Polycronii monothelitæ dementia. 85. 90.
Poteſtas corporis proprii transferri poteſt in Conjugem negativè, & poſitivè. XIV. 12.
Propoſiti à voto diſcrimen. 76. 59.
Proteſtatio duplex, forenſis, & communis. 86. 4.
Pyrauſtæ virginale Matrimonium Dæmonis excitavit invidiam. XIX. 18.
Perfectum omninò fuit quoad tres cauſas efficientem, formalem, & finalem. 27. 52. & ſeqq.
Pyrauſtæ in contrahendo Matrimonio ſublimis, & pia intentio. X. 6. XII. 9.
Pyrauſta pronubus immaculati Virginis & Joſeph Matrimonii egregius imitator. XV. 13. 3. 8. 75. 51.
Pyrauſtæ in ſuadenda caſtitate energia. XXV. 29.
Pyrauſta copulam non exercendo cum Sponſis nullimodè peccavit contra juſtitiam. XXVI. 31.
Pyrauſtæ eximia in matrimoniali contractu prudentia. 9. 18. 70. 27. 77. 60.

Quoad

Digitized by Google

Quoad omnes circumſtantias heroica fuit. 101. 70.
Pyrauſta ſapientiæ dono illuſtris. 10. 20. 123. 22.
Pyrauſtæ de re familiari ſolicitudo commendatur. 78. 62. & ſeqq.
Pyrauſtæ ſanctitas. 91. 18.
Pyrauſtanæ virginitatis glorioſa ſpecimina. 90. 15. 93. 29.
Pyrauſtani propoſiti ſervandæ in conjugio caſtimoniæ heroicitas exemplo Tereſiani voti faciendi, quod perfectius eſt, comprobatur. 101. 64. & ſeqq.
Pyrauſtanæ in caſtimonia fortitudinis mirabiles prærogativæ. 80. 74.

Q

Querimoniæ & moleſtiæ in Pyrauſtam aſtu Dæmonis excitatæ diluuntur magno cum fœnore Pyrauſtanæ in conjugio ſanctitatis. xviii. 18. & ſeqq. 51. 32.
Quies eximia Pyrauſtæ cum Sponſis Matrimonii à ſe contracti ſanctitatem apprimè declarat. xix. 19. xxiii. 31.

R

Regulæ ad dignoſcendam heroicitatem in prudentia Chriſtiana. 83. 82. & 83.
Rei perfectio duplex: Prima, quæ conſiſtit in forma rei, ſecunda, quæ conſiſtit in ejus operatione. 14. 29. 137. 48.

S

Sapientia in judicando circa agibilia duplex; communis, & propria. 10. 20.
Spiritus Sancti inſtinctui Pyrauſtana Matrimonia adſcribenda ſunt. 119. 16.

T

Tobiæ junioris ante conjunctionem pia ad Conjugem adhortatio. xxiv. 28.
Ejuſdem exemplo caſtitatis matrimonialis excellentia declaratur. 96. 38.

V

Virginitatis in conjugio ſervandæ pactum ſive antecedens, ſive ſubſequens optimè componitur cum fœdere nuptiarum. 87. 4.
Virginitatis connubialis excellentia. 89. 14. 46. 18.
Virtutis heroicæ explicatio. 92. 26. & ſeqq.

X

Xenocratis continentia. 71. 33.

Z

Zelus ſingularis in Pyrauſta fovendæ, promovendæque ad gradum heroicum virginitatis. 80. 74. & ſeqq.

LAUS DEO.

Digitized by Google

*IMPRIMATUR*,

Si videbitur Reverendiſs. P. Sacr. Palat. Apoſtolici Magiſtro.

*N. Epiſc. Bojan. Viceſg.*

---

*IMPRIMATUR.*

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sacr. Palatii Apoſtolici Magiſter.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google